


Dissertatio Textualis De Jesu Christo Ad Jordanem Glorificato

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCIX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677946164>

Druck Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.


16.

17.

18.

19.

20.



DISSERTATIO TEXTUALIS

De

JESU CHRISTO
AD JORDANEM
GLORIFICATO.

QUAM.

Matth. III, 16. Marc. I,

Sub auspiciis D. O. M.

PRÆSIDE

JOH. JACOBO HOTTINGERO,

S. S. Theol. Prof.

*Pro consequendo Examine Theologico gemino
congressu tuebuntur,*

JACOBUS STADLERUS.
LEONHAR. HOLZHALBIUS.
CONRADUS WISERUS.
HENRICUS HULDRIUS.
ANDREAS ZIMERMANNUS.

CHRISTOPH. BALBERUS.
CONRADUS WISERUS.
RODOL. BREITINGERUS.
BALTHASAR ZUINGLIUS.
HENRICUS FÆSIUS.

Ad dies Januarii. & Febr.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI.
ANNO M D CCIX.

DISSERTATIO TEXTUALIS

DE
JESU CHRISTO
AD JORDANEM
GLORIFICATO.

Handwritten: M. A. B. C.

AVIA
Sub auspicijs D. O. M.

PRÆSIDE

JOH. JACOBO HOTTINGERO.

S. S. Theol. Prof.

Pro confessoris Examine Theologicae
conscripta innotuit.

JACOBUS STAHLERUS
LEONHAR. HOLZHALBIUS
CONRADUS WISERUS
CONRADUS WISERUS
NODOL. BRITTINGERUS
HENRICUS HULDRICUS
ANDREAS ZIMMERMANNUS
HENRICUS FASSUS

Ad dies Januarii & Febr.

TACITA

THE DAVIDIS GESSNERI
ANNO MDCCLIX



X Historia Baptismi Christi nuper consideravi-
 mus, quæ in terra, inter Johannem & Christum ^{Post Baptis-}
 gesta sint. Restant partim, quæ post Baptis- ^{inum Chri-}
 mum, eodem loco, à solo Christo facta: inprimis ^{stifactorum,}
 Gloria quam Christus à Patre & Spiritu S., cæli- ^{excellencia.}
 tûs accepit, perpendenda. Seu, ut alii loquun-
 tur: *Stupendæ Ceremoniæ, quibus Christus Magister*
noster, & Doctor Justitiæ declaratus. Est autem

ut Bullingerus monet: *Historia tot prope habens mysteria, quot verba:*
consensus & concentus Testium de celo & de terra, ad quos S. Johan-
nes 1. Joh. 5: 6. sqq. provocat, maximè notorius & solennis: Triplicis
officii Christi & Augustissimæ Sacro S. Triadis viva & præsens effigies.

II. De Christo ergo S. Matthæus 3: 16. καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ^{Ascensio}
 ἀνέβη εὐθείως ἀπὸ τοῦ ὕδατος. ^{Christi ex}
 Itidem Marcus, 1: 10. Ἐυθείως ἀναβὰς ^{Christi ex}
 τῶν ἀπὸ τοῦ ὕδατος. ^{Christi ex}
 Ut Jos. 4: 19. de universo populo, ἦν ἀνέβη, ob aqua.
 profundiolem situm alvei, in quo aquæ illæ fluunt. In profundum
 descenderat Christus: Baptismum ritu aliorum quibus à S. Johanne
 administrabatur (immersione putà), accepturus: non illic peritu-
 rus, sed aridæ, ceu sublimiori & securiori loco restituendus. Filius
 Dei (& quicumque per fidem in illum potestatem accipiunt ut filii Dei
 cognominentur) in abyssum, in aquas multas demittuntur: non
 illis abripiendi, sed eas superaturi, & ex eis emerfuri. Erasmus Schmid
 (eâdem quâ Luc. 3: 23. usus est licentiâ) Marci 1: 10. supplet: ἀνα-
 βάντων (Johannes cum Jesu) ascendens. Sic Textui Sacro, præter
 necessitatem, contra intentionem, quid si etiam contra mentem Spi-
 ritûs S., sua ingerit. Nam Spiritûs S. ascensionem S. Johannis, non
 minùs quam ejus descensionem silentio involvit. Saltem non vero
 simile, Johannem in tanto hominum confluxu, cum singulis ascen-
 disse.

III. Ascensionem illam S. Matthæus festinatam fuisse tradit. Ἀνέβη ^{Maturata.}
 εὐθείως: inquit. In hac festinatione Christi explicanda, multi cuncta-
 tores insignes se præbent: nec ferè vel se, vel Lectores expedire

nortunt. Crauserus in *Phosph.* num. 580. Johannem cum aliis, procul dubio, *inter baptisandum* de pœnitentia & fide in Christum, antequam ascenderent, differuisse: *post Baptisum*, fructus pœnitentiâ dignos inculcasse. At Christum (nec hujus institutionis, nec horum calcarium indigum) protinus ascendisse. Porrò Anselmo iudice, Christum maturatâ ascensione docere voluisse, quòd omnis baptisatus de virtute in virtutem, & sine dilatione quidem, ascendere debeat. Alii: Ex peccatorum veterum aquis nobis ascendendum. Qui enim (inquit Autor *oper. Imperf.*) ingressi fuerant in aquam carnalem, & filii Adam peccatoris, confestim de aqua ascendunt, spirituales filii Dei facti. Aliis placet, etiam Baptisum prædicationis & lacrimarum occinere, & eorum participes factos officii admonere. Origenem ferè in explicanda Israëlitarum illa festinatione secuti. Nimirum qui semel extra oleas vagantur, vix in viam redeunt. Omnium inficetissimi, qui populum in aquam profundè immersum, (ne quicquam rerum, neque visarum à se, neque factarum ignorare videantur), ad collum usque immisum (apud Euthymium) dicunt, tamdiu detentum, donec omnia peccata & peccatilla in aures Johannis deposuisset. Quid his omnibus opus? Si aliquid hujus dicendum & ratio asserenda sit, cur reliquus quidem populus tardiori gradu ex aquis conscenderit (quod ex verbis S. Matthæi colligi facile permittimus), Christus autem breviores illic moras traxerit, paucis hæc reddi possit: quòd Christo nullâ in aquis (ut universo reliquo populo) morâ fuerit opus, quia carnè peccatrice, quæ suffocanda sacris illis undis foret, caruit. Potissimum hoc vult Spiritus S. quod proximis verbis describitur, ceu cum Christi Baptismo conjunctissimum: dum inquam Christus *in terra*, in abjecta conditione servi, ἐν ὁμοιώματι σκηνῶν ἀμαρτίας, in similitudine carnis peccati, se ostenderet, *calitus* personæ tam humiliter se gerentis magnitudinem fuisse deprædicatam: (ut frequens aliàs) radios divinos tenebris carnis obscuratos, emicuisse, & velum humilitatis ejus transparuisse; seu: *gloriam ejus conspicuam factam; gloriam ut unigeniti à Patre, pleni gratiâ & veritate*, Joh. I: 14. Eventus hujus tam illustris, Christo tam gloriosi, Johanni (ex parte saltem) promissi, cùm Christus præscius fuerit, mirandum minimè est, quòd ex aqua festinârît. Quid si etiam antevertere alios voluerit, quò in littore à vulgo hominum seorsim consistens,

sistens, discerni, & à Johanne fructus insecutæ declarationis cælestis uberius colligi possit; neque scrupulus reliquus esset, quin *is sit, qui venturus erat, neque alius sit expectandus*. Matth. 11:3.

IV. S. Matthæus particulam *ἐν ἑαυτῷ*, cum verbo *ἀνέβη* jungit. *Marth. & Marcus conciliati.*
 At Marcus scribens: *ἐν ἑαυτῷ ἀναβάντων εἶδε*, idem adverbium temporis cum re ascensionem consequente, conjungit. Hinc Criticorum concertationes: Quæ Evangelistæ conciliandi? Alii Matthæi, alii Marci Methodum præferunt: adeoque Spiritum S., qui utrumque inspiravit, secum committunt. Saltem, nescio quid *ambiguitatis* hic fingunt, & Spiritui S. impingunt, ut quidem à Crellio fit. At quorsum tantæ in re plana cespitationes? In re non necessaria digladiationes? Quid vel caliginis in utroque Scriptore: vel in re ipsa scrupuli, si concipiamus, Christum & confestim ex aqua ascendentem: & dum ascenderet, cælitus manifestatum, quorum illud à S. Matthæo dicitur, istud ex S. Marco discitur?

V. In caligine illa carnis exinanitæ, & multis modis obscuræ, *Christus orans.*
 animi Servatoris nostri puritas, sole meridiano clariùs elucet. *Ἰησοῦς βαπτισθεὶς ὁ καὶ προσευχομένως*, S. Lucas ait. Luc. 3:21. In aqua dum consisteret: aliud à Johanne, aliud à Christo factum. Illius opera externa: hujus inprimis interna fuit. Ille *baptizavit*: hic *oravit*. Illius actio mox finem consecuta: *baptizatus est*. Hujus constans & durabilis fuit. Postquam baptisatus esset, preces adhuc prosequitur. Quis enim præsumat Christum nunc demum mente ad Deum ascendere cæpisse? Non ea continuare, quæ in profundis exorsus erat? In precibus perditus & pernox fuit: non tantum pro aliis, sed etiam pro se orans, & seridè quidem, quod naturæ humanæ non tantum veritatem, sed & sanctitatem ostenderet: nec non quòd, cum dives esset, pauper factus sit: & ut nos ad perpetuè orandum suo exemplo incenderet. Damascenus IV. 19. Christum *κατὰ προσποιήσιν* per simulationem tantum precatum nugatus est. Perperam omnino. Nisi cum Clariss. Garissolio, de *Christ. Mediat.* lib. 3. cap. 9. hoc temperamentum ejus verbis adhibeas: Christo non tantas fuisse rationes orandi, quantæ nobis sunt. Cum enim nos nihil de nostro habeamus, sed omnia ex gratiæ Dei penu expectanda, Christum, cum verè Deus sit, habuisse in se & ex se, unde possit ea omnia efficere sine oratione, quæ per orationem petebat. Cum nihil eorum omitteret, quæ ad

gloriam Patris sui conferrent, animive sui sanctitatem & integritatem demonstrarent: nullibi majori curâ versatus, quàm in iis quæ sui Patris essent, Luc. 2:49. Nunquam tamen in his partibus enixior & constantior, quàm cum magni aliquid vel aggrediretur vel tractaret. Utique de nemine omnium qui Sacramentum Baptismi religiosè, ministerio Johannis acciperent, dubitamus, quin *corda sursum* habuerint ad Dominum: ut quod autoritate Dei ipsis conferebatur, gratia Dei facundaret ad cordis ipsorum purgationem in Messia, & conscientiæ tranquillationem. Ut enim Sacramentis nihil sanctius & præstantius nobis à Deo datum, ita sanctè (si quidquam aliud) tractanda. *Sancta Sanctis*. De Christo id minimè ambiguum. Aqua quâ humectabatur, olei instar sacrum hunc ignem in eo aluit. In *genua prolapsus* orasse; aliis defendendum relinquimus: gnari quid Matth. 6: 5. sqq. in Phariseis hypocriseos titulo damnaverit. Lucas eum *precatum* docet. Turbâ circumvolutum in genua se demississe, ut Luc. 22: 41. aut prorum in terram se abjecisse, ut Matth. 26: 39. conf. Luc. 22: 44. non dicit. Nec magis exprimit alios orantis ritus, quod v. gr. vel oculos [ut Joh. 11: 41. 17:1. Matth. 14: 19.] vel palmas [ut Luc. 24: 50.] ad sidera tetenderit, ex quibus orare Christum colligi potuerit. Pariter precationis formulam, imò & argumentum præterit. Si tamen in tanta re impunè conjectare: Si maximè ex aliis Christi precationibus, de isto orationis argumento statuere liceat, præter gratiarum actionem pro favore sibi novissimè oppignerato, & Sacramento gratiæ in usum Ecclesiæ instituto; vota ejus fuere, ut Deus Spiritum per Prophetas sibi promissum, mittendo, tum certamini ad quod Deo auctoratus se accingeret, tum Ministerio quod jam susciperet, benedicat, ad illorum, quos ipsi dederit, solidam consolationem & æternam salutem: *Ut qui misit ipsum, cum ipso maneat, nec eum solum relinquat*, Joh. 8: 29. *Ut loqui possit, quem ad modum Pater ipsi dixit*, Joh. 12: 49. 50. *Ut Pater ipsum glorificet*. Joh. 8: 54. *Confestim ascendens (adhuc) precabatur: Pater glorifica (gloriosum redde) nomen tuum*. Prodiit ergo vox ex cælo: *Et glorificavi & porrò glorificabo*. Joh. 12: 28. Id ex proximè sequentibus liquet. Cæterùm cum Spiritus S. id factum commemoret *a*. Christo non ampliùs in aqua constituto, *b*. eodem orante: quis non videt, vim Baptismi nec inharere aquæ, neque cum ejus administratione coherere, sed fontem

tem ejus gratiam Dei esse, quam Spiritus S. liberè, quando, non securis sed orantibus, & anhelantibus, quibus, quâ mensurâ velit, distribuat. Unde etiam Tertullianus *de Bapt. cap. 6.* Nos *Spiritum S. in aquis consequi* negat.

VI. Ut Christi nativitas & mors, non sine miraculis, ita neque *visio qualis* Baptismus ejus. Cùmque cæli frequentissimè Filium Dei *laudaverint*: historia præfens tergeminum ejus modum exhibet. Oculos cum Christo cælum versùs erigentibus, observanda alia *in cælo*, alia *ex cælo*. *Illinc* reale, *hinc* vocale, pro Christi Persona & Officio testimonium proficiscitur. Omnia tam illustria, ut Tertullianus Christum baptisatum dicturus, eum *Clarificatum* nuncupaverit. Summo jure. Quid factum *in Cælo*? καὶ ἰδὲ ἀνεῶχθησαν αὐτῶ ὁ ἕρηνόι. Matth. 3: 16. εἶδε χιζόμενες τῆς οὐρανῶς. Marc. 1: 10. ἀνεῶχθηναί τον ἕρηνόν. Luc. 3: 21. Καὶ jungit non tantùm verba, sed & sequentia cum antecedentibus, & promptam exauditionem orationis Christi (vid. Joh. 11:42.) & quidnî omnium in fide precantium? demonstrat. Idè ecce Joh. 1: 29. & alibi *persona*, h. l. *rei* demonstrativum. Opportunè si unquam, & meritò h. l. adhibitum. Frequenter de rebus vel *absentibus*, vel *futuris*: h. l. de re *presenti*. Lectorem ad rem aliquam ejusve modum, ob ejus gravitatem, magnitudinem, certitudinem, mentis vel etiam corporis oculo contemplandam excitat. Ἐιδεvidit; Num hoc & sequentia *φανόμενα*, ad *realia* & *ὑποστατικά*, an ad *imaginaria* tantùm referenda: An visio corporis, an nonnisi mentis oculis: an ecstática visione, qualis Michæ contigit, 1. Reg. 22: 19. Ezechiel, Ezech. 1: 2. 8: 5. sqq. Petro, Act. 10: 33. aliis: an sensuali, qualis illa Abrahami, Gen 18. Israëlicorum principum Exod. 24. Apostolorum, Matth. 17. Act. 2. peracta sit? Interpretes Scripturæ *πρωτόθετοι* anxie disquirunt. Neque litem illis moverim qui disquisitionem istam ad ea ablegant, quibus plus curiositatis quàm necessitatis inesse videtur. Problematicis accersendam, nemo inficiaverit. Cùm tamen quæstionis hujus illustratio, huic historiæ haud parùm lucis afferat: neque Textui S. omnes radii desint, quibus nebulæ ei offusæ dispellantur, nil dissimulamus, haud illis nos suffragari, qui omnia ad *φάντασμα*, ne dicam ad histrioniam, referunt. Enim verò confidenter dixerim, *ὄραμα ἑκστατικόν*, visionis genus fuisse, quod Christo minimè conveniat: vid. Joh. 1: 18. Nec ejusmodi visiones

Christo à Deo oblatas, Scriptura, si memini, uspiam docet. Porro ecstasica visio unico contigit subjecto, v. gr. linteum Act. 10. à solo Petro animadversum. At fissio cœli, columba &c. simul à Christo & Johanne conspecta. Ergo non in sola cogitatione, sed in cœlo: non putativum, sed realem existentiam habuit. Denique visio respondet rei visæ. Res autem visa non aliquid *ἐμφατικὸν* *apparens*, sed *ὑποστατικὸν φαινόμενον* fuit: de quo aliisque suo loco.

An promif-
sua turba
tribuenda?

VII. *Vidit*: Christus. Et quidem distinctissimè. Et ante quem-
cunque alium. Quidni etiam viderit S. Baptistes? Certè vidit Spiritum S. in Christum *descendentem*, & *super eo manentem*, Joh. 1: 32. Quid verò de turba Iordani imminente? Fortassis & illi splendorem cœlitus prorumpentem, instar fulguris alicujus observarunt: & vocem, seu strepitum aliquem in aère editum animadverterunt: verùm obscuriùs, & ceu *φωνὴν ἄδηλον*, ut illi Joh. 12: 29. Act. 9: 27. 22: 9. Ita Deus rei alicujus externæ visum, uni concedere, alteri negare potest: Deo scil. vel extraordinaria hujusmodi *φαινόμενα* pro nutu dirigente: vel sensus hominum aliorum ligante, aliorum laxante. Prout gloriæ suæ consultum & proficuum novit. Omnia enim ubique ut libet temperat, & moderatur. Theophylactus quidem: *Omnes videbant Spiritum in Christum descendentem*. At à Pharisæis, militibus, Scribis, reliquorum Baptismi Christi testium turba, æquè distinctè hanc Christi gloriam *visam & auditam*, ac à Christo & Johanne, minùs probabile. Tum quia Scriptura fileat: tum quia Christus negat, *Patris* (de se testantis) *vocem* à Judæis auditam, aut ejus *ἔιδος*, *speciem* visam Joh. 5: 37. Johannes autem Christo jam baptizato profitetur, eos Christum, qui jam medius inter eos steterit, *non agnovisse*. Joh. 1: 26. Porro si testimonium hoc promiscuè ab omnibus auditum, & Spiritus S. visus, quid opus fuit à Baptista, Joh. 1: 32. sqq. spectaculum hoc sibi, primò ut promissum, postea etiam ut exhibitum, tam patheticè, & tanta cum cura inculcari? Nervosius ad eorum *αὐτοψίαν* provocasset. Denique radii aliqui & tenuiora indicia sufficiebant; ut magnificam hanc *Messix ἀποκλήρυξιν* (Evangelistarum, calamo, & Apostolorum ore, evolendam & explicatiùs edifferendam) postliminio audientes, ceu fide dignam reciperent, & fide in Christum confirmarentur. Ut hinc etiam liqueat, Deum & media,
& gra-

& gradus lucis, non eâdem mensurâ omnibus impertiri: sed singulis pro vocatione diversa, ad id quod utile est. 1. Cor. 12: 7. II.

VIII. Ubi verò aliquid observatum? Matthæus & Marcus ajunt, *Quinam in calis*: Lucas, in *Calo*. In *Calis*, infimo (aereo): intermedio (æthereo) qui $\psi\pi\tau$ Gen. I. dicuntur: & supremo, quod Luca $\kappa\alpha\lambda' \epsilon\lambda\omicron\chi\eta\nu$ *calum* dicitur: Ut *Johannes* (Calvini $\chi\alpha\lambda\kappa\iota\tau\epsilon\rho\varsigma$ verba sunt) *perspicere potuerit aliquid Planetis & astris superius*: quemadmodum Act. 7: 56. *cælum aperiebatur*, quod Christum receperat. Apertum, inquam, palatium Dei in conspectum & alloquium hominum prodeuntis: *Ex eodem calo magis quam ex infimo vel medio descendit Dei Spiritus*: idemque *calum per calos medios, veli instar dissectos vel disjectos, rectè potest dici apertum*, ut sapienter omnino Excell. Mark. *Exercit. Bibl. p. 591.* Apertum Sanctuarium non manufactum; in quo solo deinceps populo suo quærendus & conveniendus erat; terrestri illo propediem destruendo. Ut hinc etiam constet, *Regnum ealorum*, ut Johannes prædicabat, *appropinquasse*. Ut frustra Ligfotus rationibus nonnullis evincere satagat, solum cælum aëreum se aperuisse.

IX. *Quales videre?* $\Sigma\chi\iota\zeta\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, Marc. I. Græcus aliquis Codex *Fissione* substituit, $\eta\nu\omicron\iota\gamma\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$. Unde forsan V. V. *apertos*. Ἀνεῶχθησαν , Matth. 3: 16. Ἀνεῶχθησαν , Luc. 3: 21. Marcus, *qui*: Matthæus & Lucas, *quales* facti fuerint. Ille antecedens, hi consequens memorant. Omnium scopus dicere: Naturâ clausi, interveniente fissione aperiebantur. $\Sigma\chi\iota\zeta\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$: *Uno impetu, ut ea quæ scinduntur*, juxta Cl. Dieteric. *Antiquit. N. T.* in $\Sigma\chi\iota\zeta\omega$. Cæli Christo aliàs semper aperti, nunc in duas partes quasi dissecti. Substantia corporea sunt, non materiæ chalybeæ, quodammodo æneæ (ut nonnulli somniant) vel aliàs compacti: aut condensati: contigui tamen & verè extensi. Syrus verbum $\beta\tau\delta$ adhibet, quod Chaldæus Lev. XI. de *ungula bifidata*, usurpat. Et verbum $\chi\iota\zeta\epsilon\theta\omicron\mu\iota$ Matth. 9: 16. de *vestibus* 27: 41. de *velo*, Luc. 5: 36. de *retibus* adhibetur. Haud omnino refragamur Grotio asserenti, apertionem cæli esse solenne signum prævium $\tau\omega\iota\varsigma \omicron\pi\iota\sigma\tau\iota\alpha\varsigma$. Quin tamen h. l. illustrior cælorum apertio facta sit, quam sive retrò sive deinceps, non dubitamus. Unde non tantum *januam Cæli*, ut Apoc. 4: 1. sed *calos apertos* Spiritus S. asserit. Minimè tamen factum hoc ullâ ratione cum illis, quæ idem Grotius ex Livio, aut Auguralibus libris, *calum discessisse* referentibus pro-
ducit,

ducit, comparandum esse censemus: nec figuratum tantum genus dicendi, quo significetur aliquid divinitus factum.

Verā &
reali.

X. Non ergo splendor tantum aliquis circa Christum fulgebat. Quasi, disruptis celsissimis sphaeris, subtilis illa & caelestis lux cum impetu, in terram collapsa esset. Talis splendor, caelis integris, conspicuus esse potuit. Sed quia caeli fissi, ejusmodi splendor inprimis à Christo observatus. *Φῶς ἐφανόθεν ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τῆς ἡλίου* *εὐμπελάμψαν.* Act. 26: 13. Quanquam enim ad Iordanem Christus non *transformatus sit*, ut in monte sancto, nec luce illa ejus facies ut sol fulserit: aut vestimenta ejus ut lux alba reddita sint, Matth. 17: 2. haud tamen aded improbare possumus illa Chemnitii: *Vidit Baptista caelum supra Christum (i.e. ut Dietericus loquitur: ipsam caeli proprie sic dicti substantiam) in ripa Jordanis orantem, quasi in duas partes scissum, & ex illa scissura sive apertura, vidit emicantem & per radios e caelo usque in Christum ad orationem compositum, se porrigentem lucem augustiorem, & diviniorem quam pro hujus mundi ratione: Ut lux aërem serenavit caelo aperto, Angelis sub Christi Nativitatem descendentibus Luc. 2: 9. Mose & Elia in montem sanctum Matth. 17: 2. Christo apparente persecutori Saulo Act. 9. Quocirca neque Clariss. Ligfot. probamus, solas nubes disruptas, uti jam lacerentur erumpente fulgure. Alii de Chasmate in aëre, quum oculus objecti distantia deceptus, caelum instar fenestrae, vel voraginis aperiri arbitratur: quod minus vero nobis simile. Caelos non minus fissos persuasi sumus, quam vocem ex caelo auditam. Quia se aperuere aut ei, Christo; Non naturaliter, sed supernaturaliter: corporibus crassioribus, opacioribusque, per pellucida & lucida, adeoque agilia, ad Dei nutum huc & illuc disjectis.*

Aperiuntur
Christo.

XI. Dicuntur autem fissi Christo: hoc est, non universum caelum, nec super totam terram: sed illa pars caeli, ubi Christus in ripa Jordanis orabat. Hinc Lutherus reddit, *über ihm*: Ita ut non super reliquos praesentes, sed super solum Christum videretur apertum esse. Rectè quidem hactenus Chemnitius. Addere debuisset, omne istud tum Christi personae praesentiae manifestandae factum: tum ejus precibus datum. *Χάσμα* Meteorologicum *φανόμενον* est, quod ex naturalibus causis nasci potest. Nihil ergo hujus, sed longè majus, nunquam ante visum, ex causis & ob rationes super-

supernaturales, occasione Christi se exinanientis, & Baptismum accipientis, *Christo*, evenit. Cæli ejus precibus aperiuntur, non tantum ut Eliæ, quod nubes stillarent. Sed nubes hinc inde disjiciuntur, & in duas partes se distrahunt. Aperiunt se ei, non solum ut Johanni, cujus tantum oculis patuere. Sed etiam ejus precibus id datum, quibus fortassis id ipsum desiderabat. Sanè vel sola nubium disruptio magnifica & gloriosa Christo esse potuisset. Sed quorsum, & cur restringi, quæ communiter de cælis dicuntur? Inprimis quia apertione cælorum omnium, Christi gloria, cui illustrandæ actus hic unice inservit, illustrior reddebatur. Cur extraordinarium, & divinum miraculum, confirmando maximo mysterio excitum, in merum oculiferum, phantasiæ aut oculorum ludibrium converti? Illustrius & majus miraculum, apertione, etiam superiorum, cælorum concipi nequit. Pariter persona Christo illustrior, in cujus honorem cæli se aperuerunt, cogitari non potest. Stupenda est veli laceratio Christo moriente facta in Templo. Quantum majus cælos eidem findi, scindi, aperi? Nam cæli ei aperti sunt, non tantum ad Christi, Patrem glorificantis, orationem: sed etiam in gratiam Christi, gloriam ita à Patre, tum visu tum auditu perceptibiliter accipientis. Quæ tantum ex nubibus facta, eadem ex cælo contigisse passim S. literæ tradunt. Quid tum? Ideone quæcunque ex cælo proveniunt, ex solis nubibus proficiscuntur?

XII. Crellius figuram tantum aut speciem cælorum apertorum Christo, ut Petro, Act. 10: 12. Johanni, Apoc. 19: 11. Stephano Act. 7: 56. objectum: cælos non revera apertos fuisse, asserit. Quod fortassis ipsum pridem voluit Hieronymus: *aperiuntur cæli, non reservatione elementorum, sed spiritualibus oculis*. Et Grotius: *Puto intelligendum hoc καὶ φάσιν potius quam re ipsa*. Erasmus Schmidius: καὶ ὁμοιωμάτων: *Johanni præcipue, ὡς ἐν ὁραματι. p. p. Aperti, non quoad se nec, ut alibi loquitur) physico & materiali modo, sed καὶ ὁμοιωμάτων*. Clericus: *Videntur nubes hinc inde discessisse: tum lux effulsisse ex profundo cælo, ut erat in Evangelio Nazaraeorum*. Sed quid est rei gestæ veritatem & divinitatem destruere si hoc non sit? Spiritus S. difertè & cælos fissos, & findi visos asserit. Sibilum potius meretur quam applausum, Thomas Aquinas historiam in Allegoriam convertens: quasi intelligi debeat, visio vel *Imaginaria*, i. e. *in imaginatione Christi*

formata : vel Intellectualis, quâ Christus post *Baptismum à se Sanctificatum*, viderit *jam cælum hominibus aperiri*. Neque aded Spiritus S. aliter descenderit, quàm Joh. 1: 52. fideles, & *cælos fissos*, & *Angelos in Filium hominis descensuros & ascensuros conspecturi* dicuntur.

Phænomeni
hujus cau-
sæ indagandæ.
2167.

XIII. Nullum dubium, quin rei tam stupendæ, tam extraordinariæ, usus & significatio fuerit planè singularis & divinus. Hic nil opus habemus Crellio. Fingit is Deum voluisse, apertissimo aliquo signo, Christum certum reddere, se esse singularem illum Dei Filium, h. e. Messiam. Quibus verbis hæresin suam aded palàm prodit, ut pituitâ nimium laboret, qui eam non olfacit. Oculi hic nobis in Johannem : potissimum in Christum convertendi. Johannes luce illâ & phasmate, pleniori de Christo luce perfunditur. Scilicet, Christi aliarumque rerum salutarium notitia, in piis per gradus invalescit, neque simul cum oritur, meridiem suam consequitur. Opus autem hoc suum Deus non deserit, sed magis magisque auget, lumen lumini addit, dum *dies dilucescat*, & *phosphorus oriatur in cordibus ipsorum*, 2. Petr. 1: 19. Christus porro suo Baptismo adumbrare voluit, suam suorumque conditionem ; primò humilem, abjectam, obscuram, mox gloriosam, suavemque. Passionem, immersione præfiguratam, præcessuram : secuturas τὰς δόξας, emersione prænotatas. Neque minùs elucet, Personæ, doctrinæque Christi, cælestis origo ; quod quamvis in turba versaretur Christus, è turba tamen minimè fuerit : nedum ut fuerit Johanne minor. *Significabatur* (Bullingerus inquit) *Christum Dominum Deum esse, profectum è cælo, quanquam nunc humilis per dispensationis tempus in terris versetur*. Unde scilicet de Cælo descendisse, Joh. 3: 16. 6: 38. & Dominus de Cælo, 1. Cor. 15: 47. dicitur. Cæli aperti insinuarunt, Mysteria regni cælorum, in quo Christus regia dignitate emineret, jam plenam lucem nactura. Cumque doctrina ejus cælitus confirmetur, frustra artes & arietes carnis, mundi, Satanæ fore, quibus illam impeterent. Illam luce suâ penetraturam & c. Fructus adventûs Christi : vis & efficacia Sacramentorum inde elucescit, quodque Baptismus janua aliqua cæli sit, quâ luce plurimâ animæ perfunduntur : omnium mysteriorum compendium & complexus, cujus solatio cælesti, virtute inquam suâ obsignativâ, ad cælum vocamur ; ejus cives, puritate affectuum, & actionum & c. ab immundis operibus carnis, & facibus terræ inimpediti, cælum petere

petere iussi. Nec dubitandum posthac erat, tum quin Deus exaudierit vota populi sui, Esaj. 64:1. *rumperet cælum, & descenderet*: tum quin Christus (corpus & Sol umbrarum V.T.) ille sit per quem *manifesta sit via sanctorum*. Hebr. 9:8.: qui per carnem suam nobis *recentem & vivam viam initiet*, Hebr. 10:20.: qui ipse via sit: Utpote absque quo & extra quem nemo veniat ad patrem. Joh. 14:6. Quique vitam & incorruptionem illustrem fecerit per Evangelium. 2. Tim. 1:10. per quem adeoque regnum cælorum, quâ latè cælum patet, planissimè manifestandum sit. Quin, Deum pulsantibus cælum (ad varia dona, tum in stadio vitæ fluctuantibus, tum in faucibus mortis constitutis necessaria) aperturum: verùm Christo soli, i. e. precibus in Christi nomine factis: Christi autoritate & beneficio ipsos Angelos in nostrum præsidium descensuros, & ascensuros, ut animas in domum patris deducant. Nam cælos Adami primi culpâ clausos, Adami secundi iustitia & obedientia referat.

XIV. Proxima ostenti hujus causa ex re ipsa liquet. Ut enim ^{Descendit} in catena annulus annulo, ita hæc miraculum miraculo cohæret, & ^{Spiritus} aliud alii gradum parat. Magnum *in cælo viderat*. En majus *de cælo: Dei*. & geminum quidem: alterum *visui*, alterum *auditui* se offerens. Descenderat Filius Dei ex cælo in terram; nuper etiam in Jordanem. Descendit in præsentiarum, Spiritus Dei. Uterque visibiliter. Nam Filius Dei in littore Jordani, in carne, nostræ per omnia simili, excepto peccato, consistens, *εἶδε τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περὶ ἑρῶν, καθίσθαινον ἐπ' αὐτόν*, Marc. 1:10. Explicatiùs Matth. 3:16. *εἶδε τὸ πνεῦμα ἔρχεσθαι καθίσθαινον ὡσεὶ περὶ ἑρῶν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν*. Denique Lucas: (*ἐγένετο*) *καθίσθαινον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, σωματικῶς εἶδει ὡσεὶ περὶ ἑρῶν ἐπ' αὐτόν*. *Vidit* uterque, & Christus, ut ex Marco patet: & Johannes, ut ex Matthæo colligitur. S. Baptistes de se ipso, *τεθέαμαι*. Joh. 1:32. *Vidi*, contemplatus sum: distinctè: cum singulari admiratione: attentione sedula, incredibili delectatione, & voluptate: ingenti desiderio. Quippe cujus rei spe divinitus maectatus erat. Vidit autem oculis corporeis, non fictione phantasæ ecstatica. Vidit desuper ex cælis illis apertis prodeuntem *Spiritum*. Marc. 1:10. Joh. 1:32. Non equidem vel humanum vel Angelicum, sed æternum: cui ut virtutes & perfectiones, simplicitas, sapientia, puritas &c. ita nomen *Spiritus*, ἐν δυνάμει competit, & cujus *τὸ πνεῦμα ὑπέρεξεν* *Spiritus*

his vocabulo indigetatur. Unde hoc nominis, ei in S. literis passim absolutè vindicatur. Vidit ergo tertiam Sacro Sanctæ Trinitatis personam, propriâ personalitate in essentia divina subsistentem. Id cum ex re ipsa patet, cuius gratiâ Spiritus iste Baptismo Christi intervenit: tum à reliquis Evangelistis disertè inculcatur. Nam à Matthæo quidem, πνεῦμα (*personaliter*) Θεὸς Dei cognominatur: quia est Patris & Filii, à quo scilicet utroque, ab æterno, ineffabili imò & incomprehensibili modo procedit, inque tempore mittitur. Nihil etiam vetat, eundem *Spiritum Dei* dici *essentia-liter*: quia perfectissimâ possessione essentia divina verè divinus Spiritus est. אלהים יהוה Gen. 1:2. Spiritus Deus Psal. 45:8. Act. 5:4. qui se ipsum (gratias suas) donat quibus vult, operatur quicquid vult, & de suo cuique largitur quantum vult. 1. Cor. 12:7.11. Ut in primi & visibilis, ita in novi orbis productione super aquis se vibravit. S. Lucæ cluet *Sanctus*: à beneficio in œconomia salutis nobis donato. Hammondi, Spiritui S. Angelos substituentis prævaricationem, infra notabimus.

In operatio-
nis gratiosa
pignus.

XV. *Spiritus* hic Dei *Sanctus*, teste Matthæo & Lucâ, *descendit*. S. Baptistes addit, *ex celo*. Joh. 1:32. Idem Filio tribuitur, Joh. 6:50. 3:13. Eph. 4:9. Descendit autem Spiritus S. non mutans locum: quippe nec calum deseruit, in quo habitavit, nec terram recens occupavit. Alia nos docet Psal. 139:7. sgg. *Descendere* dicitur Deus, sive *iræ* ergo (& quidem ארץ *volitando*: ארץ instar pernicis, valida & prædæ captandæ gratiâ, ex sublimi in inferiora se cum impetu quasi dejicientis volucris) sive *gratiæ* opus in terra producturus novum, augustumque: quo nomine Act. 10:44. dicitur, ἐπέπεσε *illapsus est Spiritus S.* Ibi enim dicitur esse Deus, ubi operatur. Templum secundum priore inter alia obscurius & inferius fuisse, à ludæis perhibetur, carentiâ Spiritus S. Defectum hunc Magistri aliqui de dono Prophetiæ intelligunt: alius, de oleo unctionis, Sacerdotibus & Regibus inaugurandis adhibito, quod Spiritus S. Symbolum fuit: ceu prolixius docet vir immortalis memoriâ dignissimus Joh. Buxtorf. in Herculeo opere *Lexic. Rabb.* Tit. שכינה Descendit nunc Spiritus S. damnum illud compensaturus. Postquam enim Christus *delectabatur* vivere cum hominibus, Prov. 8:31. nec Spiritus S. ad nos descendere detrectat: quin, cum Patre & Filio *ad nos venire*, *Emanationem*

tionem apud nos facere vult, Joh. 14: 23. ob liberalem donorum mensuram in homines Christi sanguine expiatos effundendam. Ut Joh. 7: 39. nondum fuisse Spiritus S. dicitur, quia alvei illi donorum Spiritus in Apostolos nondum effundebantur.

XVI. Ut Filius de cælo descendit carnem assumens: ita Spiritus S. *visibiliter*. descendit, in gratiosæ præsentia suæ symbolo, *σωματικῶς εἶδει, ὡσεὶ πρᾶξι*. Speciem corpoream, i. e. visibilem, materialem, ab essentia & persona sua distinctam assumit Spiritus, suâ naturâ invisibilis: quod (qui omnia, visibilia & invisibilia, omnipotente verbo suo produxit: animum hominis ad imaginem suam conditum, in corpore visibili habitare voluit: se Judice læso, Filio corpus adaptavit) omnino potuit. Filius Dei in V. T. nubem, tum ordinariæ tum extraordinariæ præsentia suæ Symbolum esse voluit, & in populo suo habitavit. Ipse Pater, gratiæ tesseram populo suo exhibiturus, & aliquid magni eorum menti propinaturus, inculcaturusque, in symbolo visibili Exod. 19. apparuit. Quandoquidem nec *absoluta Dei perfectio*, de potentia Dei formam ejusmodi concinnandi & coaptandi; nec tot *exempla*, de ejus voluntate, ejusmodi symbolis gratiam suam Ecclesiæ declarandi, nos dubitare sinunt: Ratio & *modus*, quo id à Deo in effectum deductum sit, nos minimè sollicitos habet. Qui tamen insuper modum istum cognoscere velit, operam non ludet Ludov. Fabricii Theologi quondam Palatini Clariss. Exercitationes de *Emblematica Dei visione* consulens.

XVII. De specie hac corporea lubet porrò animadvertere, *Qui Spiritus, nomen & motus corporeus tribuatur?* primò, eam, utpote extraordinariæ, singularis, gratiosæ præsentia Dei emblemata, dici *Spiritum*. Speciem corpoream videns, *Spiritum* vidisse dicitur. Cùm illa toto cælo à Spiritu differat. Deus in symbolo visibili, invisibilis: corporali, i. e. materiali, finito, extenso &c. Spiritus & infinitus: creato, æternus: disparente, immutabilis manifest. Neque enim columba illa *imago* aliqua Spiritus S. fuit: ut Cæsaris imago illi nummo impressa, Matth. 21. Ita Spiritus S. Columbæ figuram naturam haberet. Eodem jure alii ex Act. 2. colligerent, Spiritum S. referre *linguam*. Quod ergo hic & illic apparuit, *Symbolum* aliquod potius fuit, non naturam sed virtutes Spiritus S. exprimens. Possunt istæ ad nostram consolationem externo *Symbolo* adumbrari. Illa, quippe infinita & invisibilis, *imagine* delineari nequit. Non magis hinc

hîc vel μεταμορφωσις, & mutatio aliqua de Spiritu S. concipienda: neque μετασις, neque συνσις: neque unio vel localis vel hypostatica, qualis animæ cum corpore, vel parastatica, qualis Angelorum cum corporibus subinde assumtis: neque *contactus* corporeus, aut Spiritûs S. *inclusio* in materiam quamcunque: quæ omnia à Spiritûs S. perfectione sunt aliena. Inter eum & speciem corpoream non alia unio locum habere potest, quàm ἁπτική, *relativa*, συμβολική, quæ *Sacramentalis* dici amat: qualis est inter signum, & rem signatam: typum, seu Sacramentum externum, & bonum internum. Unde *columba illa* Spiritu *vocatur*, *predicatione* non propriâ, sed Metonymicâ, seu sacramentali. Et gemina quidem hîc observanda Metonymia, tum *subjecti*, tum *adjuncti*. Nam & signo nomen signati: & proprietas signi, *descensus*, rei signatæ, Spiritui tribuitur, quæ omnia Spanhem. dub. Evang. part. 3. Dub. 46: 6. fusiùs persequitur. Spiritui ergo & nomen & actus columbæ vindicatur, non propter descensum localem: nec propter substantiæ (quæ invisibilis) conversionem: aut virtutis (quæ nec visu, neque alio sensu, sed sola fide comprehenditur) inclusionem: sed ob conjunctionem rei cum signo, i. e. *quia Dominus*, (inquit Calvinus) *arcanâ virtute præstat, quiddid nobis per figurâs promittit*. Spiritum autem tum Christus, tum Johannes viderunt, neque ἑσιωδῶς, neque ὑποστατικῶς, sed συμβολικῶς, & κατ' ἔμφρασιν: quia qui secundum naturam, & personalitatem invisibilis est, ostendit præsentia suæ aliquod symbolum: quod symbolum animadvertentes, non in eo subliterunt, sed mentis acie ad Spiritum S. pertigerunt: & Illuminatoris, Consolatoris &c. emblemata esse intellexerunt, quod spem concipere juberet, omnia quibus à tanto Spiritu, Deo Schaddai, in functione gravissima, certamine decretorio &c. opus esset, affatim & abundè conferenda, atque præsentissima fore. Ex quo sponte fluit, cum duplici objecto, duplicem hîc nobis actum una voce *visionis* ingeri: alterum externum & corporeum, quò oculus speciem corpoream, alterum internum & spiritualem, quo mentis oculus, luce supernaturali armatus, intellectus, Spiritum apprehendit. A quo plurimum abludebat Lutherus An. 1529. in celebri Colloquio Marburgensi, Spiritum S. in columba fuisse dicens. Sed Oecolampadius *exemplum hoc retractavit, & ad suam sententiam optime deduxit*. Hosp. Sacram. II. 76. a.

XVIII. Deinde

XVIII. Deinde notamus, hujusmodi specie corporeâ palam *Spiritus S.* confundi & planè everti Pneumatomachos, Spiritum blasphemantes, *personalitas* in (nesciunt quam) qualitatem, i. e. accidens, adeoque in nihilum con- *inde contra* vertentes, quin verissimè atque planissimè extinguentes, & existere *Pneumato-* negantes. Virtutem Dei accidentalem, in cordibus hominum pro- *machos* ductam, aliquando nuncupant. Sed Christo ex aquis ascendente, *asserta.* & calis fissis, Spiritus specie corporeâ descendit: & quidem Christo ad officium Propheticum dedicando, & ut ita dicam, investiendo: declarans, se non tantùm Personam, sed etiam Personam divinam, à Patre distinctam, esse. Ut aliter se ad Iordanem manifestet Pater, aliter Filius, aliter Spiritus S. Non tantùm ob diversas Personalitates, sed etiam ob diversam in opere gratiæ economiam. Sanè ejusmodi descensus in symbolo reali, visibilis, in merum accidens non cadit. Merum accidens, in rei substantialis imagine apparere non potest. Nisi dicas, signum re significatâ toto genere, i. e. tantò præstantius & excellentius esse, quantò substantia nobilior est accidente. Crellius, in h. l. fuit (inquit) *Spiritus iste, illa Dei vis atque efficacia, quâ Christus fuit & sapientiâ plenâ imbutus, & admirabili intelligentiâ donatus, &c.* Cæterùm agnoscit corpus aliquod verum descendisse. At quomodo virtus illa divina corporeâ specie apparere, & sic oculis cerni potuit? Supponit Crellius, *in rebus corporeis & non nunquam satis crassis, vim quandam Spiritualem à Deo infundi, quæ postea in hominibus sese exercere possit.* Abusus exemplo fructûs arboris scientiæ boni & mali, &c. pergit: *Virtus atque efficacia divina celeste quoddam atque sibi conveniens habuit vehiculum, h. e. materiam aliquam, seu corpus licet subtilissimum, cujus interventu Deus Christo eam fuerit impertitus &c.* P. P. quod si in homines, licet corporeos, efficacia divina effundi potest, & cum illis circum ferri, & de loco in locum moveri: Cur non possit alii alicui corpori, præsertim subtiliori ac spirituali, proinde *Spiritus S. natura quodammodo viciniore, divina vis infundi, & eo interveniente cum homine communicari?* Tractatu de Spiritu S. impiè contendit, nomen Spiritûs S., tum propriè, per se, abstractè: tum in concreto seu Metonymicè sumi. Per se, esse qualitatem revera, non substantiam. Possè autem qualitatem illam in materia quæ per se subsistat, recipi, eique ita imprimi, ut per eam deferatur eò, quò à Deo destinetur, & homini communicetur. Spiritum S. ergo per se esse qualitatem. At in concreto dictum Spiritum, i. e. subiectum illud seu materiam, quæ

qualitatem istam divinam in se habet, esse substantiam, & quidem corpoream. Ita ille *θεομαχῶν*: de persona & donis Spiritus S. æquè impiè. Fretus blasphemo præiudicio, Spiritum S. neque Deum, neque Personam & spirituales substantiam intelligentem & volentem: sed vel accidens tantùm: vel si substantia sit, corporeæ naturæ esse. Adeoque Spiritum S. nullo modo ipsum esse auctorem donorum, quæ ei in scriptura vendicantur: sed merè donum, i. e. vim & qualitatem hominibus communicatam: symbola verò Spiritus S. signa esse mendacia. Denique, dona illa quæ Spiritus S., i. e. non à Spiritu autore proficiscuntur, sed ipse spiritus sunt, in materia recipi, quâ interueniente homini communicantur! Quæ re nihil ab omni ratione alienius vel dici vel concipi potest. Immediatam Dei in nobis operationem destruit, & qualitates, nescio quas. calitus per materialem canalem effusas, nescio quâ cum materia iunctas fingit: absurdissimo commento, de scientia fructui arboris insita, omnia defensusurus.

*Descensus
visibilis
cause inve-
stigantur.*

XIX. Spiritus S. descendere & formâ quidem *aspektabili* voluit, tum *Johannis* tum *Christi*, tum *nostrî* causâ. *Johannis* quidem, cui hujus rei promissio facta. Spiritus Johanni Christum non quidem hætenus omnino ignotum ostendit: tamen eum par erat, signo cœlitus dato confirmari in doctrina, quam & ipse viderat, & *φωτισθησάμενος* à Spiritu, alius *testatus erat*. Joh. 1:34. Quod Christus nempe sit Filius Dei. Certè Johannes eâ visione ad constantiam in testimonio illo reddendo excitabatur. Joh. 1:29. *Potissimus ergo usus columbæ est, demonstrare Jesum Christum esse Filium Dei, qui baptisat Spiritu S. ut Bullingeri verba iterum mea faciam.* Spiritus etiam descendit *Christi* gratiâ. Christus Joh. 16:14. profitetur, se à Spiritu S. Myseria Christi Apostolis indicaturo & interpretaturo *glorificandum*. Spiritus Christo baptisato apparens, solennissimè eum glorificat. Apparere enim voluit, quò patesceret, quòd is sit, de quo Johannes testabatur: qui *baptisat Spiritu S.*: qui Spiritum S. effundit, Joh. 1:33 de quo (citante Matth. 12:18.) Pater Jes. 42:1. *dedit spiritum meum super ipsum*: qui de se ipso: Jes. 61:1. (allegatum ab ipso Domino, Luc. 4:18.) *Spiritus Domini est super me.* h. e. (Viro Magno interprete) Deus est in me: & ego in ipso: & meum est dare Spiritum Dei. Etsi auditorum nemo ista vel vidit, vel audivit. Vero tamen simile est aliqua ejus rei, etiam si *ἐξίτηλα ἴχνη*, ad ipsos pervenisse. Indeque fortassis occa-
sio

hinc captata legationem ad Johannem expediendi. Joh. 1: 19. Denique, descendit visibiliter nostri intuitu, quibus hujusmodi singulare factum, longè nobilior tessera est, quàm Israëlitis unguentum illud fragrantissimum in Aaronis caput effusum: quippe nobilis actus inaugurationis ad provinciam, quam jam jam Dei auspiciis & autoramento ingressurus erat. Ad quæcunque Ministeria, præcipuè ad Ecclesiasticum vocatis, aurem vellicat, Spiritu S. sibi longè magis opus esse. Respondet denique symbolum hoc, conditioni œconomix fœderis gratiæ, quæ in præsens inchoanda erat: quæ ut *Ministerium Spiritus*, 2. Cor. 3: 6. ita λογική λαλῆσία est, Rom. 12: 1. non σαρκική: cujusque cultus non tam corporeus & externus, quàm (ut regnum Christi) spiritualis futurus erat. *Adoratio Dei in Spiritu & Veritate.* Joh. 4: 21. seqq. Hoc suum dominium spirituale, in Ecclesia, tum extraordinaria dona aliquibus: tum omnibus fidelibus, illuminationem, sanctitatem, consolationem, &c. liberaliùs impertiendo, inchoaturus Spiritus S., sub prima ejus auspiciis conspiciendum præbet.

XX. Cùm verò *Corpora* plura sint, specie seu figurâ diversissima, in cujus *corporis*, seu corporeæ substantiæ specie, Spiritus S. videri voluerit, non tantùm Lucas addit: sed scribunt etiam Matthæus, & Marcus, consentiente calamo, ὡσεὶ περιστερῶν. Ὡσεὶ particulam comparativam Vulgatus reddit *sicut*. Judice quidem Erasmo, *oscitanter*. Sed nisi fallor τῆ ὑποθέσει δαλέων, ut pariter Valla arbitratus est. Is censet elegantius reddi, *quasi*. Eum sequitur Beza. Notum est verba ὡσεὶ περιστερῶν, à multis multâ caligine obrui, nec ut luce suâ gaudeant, permitti. Sunt qui ea jungant cum verbo *descendere*: veluti tantùm modum quo descensus factus, describant: quòd inquam responderit columbino. Quale corpus sumserit, ab Evangelistis in medio relinqui. Sed non desunt nobis arma, quibus hos conficere, & configere licet, in seqq. producenda. Alii *speciem* quam assumerit *corpoream* exprimi: & tum ex eo quòd *descenderit*, tum quòd *descendere visus*, certam figuram induisse, quâ nimirum sine videri non potuisset, colligunt. Ut ergo Lucas in genere, quòd Spiritus S. specie *visibili*, ita præter tres Evangelistas, Johannes Baptistista, in specie, quòd *columbinâ* figurâ apparuerit, docet. Cùm illaberetur in Apostolos, *extitit repente Sonitus è celo, tanquam ruentis flatûs violenti, qui replevit totam domum, ubi erant consistentes.* Et visæ sunt

sunt eis dispersitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super unum quemque eorum, Act. 2: 2. 3. Ita tum dona quibus illorum mentem & corpus ornaturus erat, tum successus quem in functione futura experturi essent, insinuabatur. Christo & Johanni Spiritus apparet instar columbæ. Haud abludit Phrasis Gen. 1: 2. de Spiritu S. adhibita. Et Chaldaus Cant. 2: 12. *Turturem*, de Spiritu S. intelligit.

Henr. Ham-
mondi 595.
Σλωτεις.

XXI. Antequam ad reliqua hujus historiæ convertamur, Henrici Hammondi (qui haud rarò seorsim sentire amat) sententiam sub incudem hic revocare juvat. Præterquam quod (a) pollicem ratur, premit, qui negant Spiritum S. sub columbæ formâ descendisse: sed hoc tantum indigetari, Spiritum descendisse in Christum, ut columba solet descendere in id quod prius supervolavit: agnoscit tamen (b) Spiritum S. conspici potuisse, ac revera conspectum esse. Idem aliàs factum, ut cum Mariam sub conceptionem obumbraverit. Luc. 1: 35. Ita Matth. 17: 5. & Cherubinos perinde supervolitasse propitiatorium, & 2. Petr. 1: 3. δόξαν notare apparitionem Spiritûs S. (c) Post Episcopium, ipsumque (quantumvis dissimulantem) Socinum, (argumento pro personalitate Spiritûs S. nervos ita incisuros: à Crellio tamen & Wolzogenio hic desertos) affirmat, non indicari h. l. ullam figuram, sub qua Spiritus S. apparuerit. Ut nec linguæ illæ Act. 2: 3. igneæ: sed colore aut formâ, igni similes fuerint. P. P. tamen: Illæ linguæ videntur fuisse igneæ flammulæ instar linguarum divisæ. (d) Vero simillimum esse Spiritum S. non assumpsisse formam aliquam corpoream, sed tantum præsentia signa dedisse: ut Deus in V. T. præsens esse dicitur, per apparitionem Angelorum; qui cum sint aula celestis Comites, Deum peculiariter præsentem esse dici, cum illi adsunt: ut in legislatione, & in Sanctuario &c. Postquam dixisset: Id quod apparuit aliquatenus columbam referre videbatur, concludit: Angelos Dei, vel (Spiritûs S. præsentia indices) apparuisse in lucida nube, vel in flamma quæ in nube coruscabat, & in Christum descendit.

Non san-
tum modus
descenden-
tis, sed figu-
ra à Spiritu
S. assumpta,
describitur.

XXII. Resp. ad a. Non modum tantum; sed insuper formam, quâ Spiritus descenderit, indigitari, diversissimum adeoque descensum, ab eo quo in B. Mariam venit, Luc. 1: 35. quod invisibiliter, i. e. absque symbolo externo, operatione omnipotente in ea, factum. Si autem quod Hamond. lit. b. annuit, figurâ aliquâ apparuit, quidni eandem figuram gesserit, quam Evangelistæ concorde calamo, ἀυτολεξεί

ex-

exprimunt? In primis quia modus descendendi columbinus, formam columbinam suppositam, planius intelligitur. Quia corpoream speciem conspectam affirmat: tot autem corporearum substantiarum figure sunt, probabile omnino, voluisse Spiritum S. distincte docere, quæ illa species, figura, forma sit. Johannes præmonitus, Spiritum S. se intuentem, in columbæ imagine in Christum descensurum: pronunciat ita contigisse. Quis affirmanti advesetur? Aut quis usus signi cujuscunque alterius? Et quidnam aliud quidquam ponderis ad confirmandam ejus fidem habiturum erat? Si denique Spiritus S. his verbis, *modum tantum quo*; non etiam *figuram, quâ* descendit, inculcare vult, quid est, quod singuli Evangelistæ, descensum illum cum columbæ potius, quàm cum aliarum, sive alitum, sive alterius naturæ rerum, stellæ, fulguris, fumi, &c. alteriusque corporis descensu comparaverint. Cur modum, non figuram, quam scire magis intererat? Jungimus ergo, quod Hammondus aliique separant. Persuasi, Spiritum S. & motus illius modum, & symboli figuram externam nobis proponere: quod Spiritus S. & columbæ formam gesserit, & quod descendens, instar columbæ inferiora petentis se moverit: ut Gen. 1; 2. eidem vibratio tribuitur, similis alitum super pullos alas suas vibrantium. Ne addam, Jarchio aliisque Judæis videri, l. c. indigitari *incubationem columbæ*. Vid. Hotting. *ἐξέχμ.* p. 42. 46. Socinus equidem corpoream speciem in qua Spiritus S. descendit, non vulgarem fuisse, & in qua nihil divini necessariò conspiceretur, qualis est forma columbæ, sed planè singularem & miraculi plenam: quæ verba Varenio, de *Columba super Cap. Chr. S.* 24. tantopere placent, ut pronunciet, Socinum de hoc mysterio multò honorabilius sentire, quàm Spanhemium, qui neget *Brutum* (qualis columba naturalis est) *ad momentum Sancto uniri Spiritui*. Quasi & Varenius persuasus fuerit, columbam apparentem fuisse naturalem, sed Spiritui S. unitam: & Socinus eidem hac in sententia suffragium commodaverit. Secus enim (pace Viri doctissimi) Varenius cavillatur & leoni mortuo barbam radit. Socino *ὁμόψυχο* Episcopus: *Fortè, inquit, excellentius ac divinius quid fuit, quàm bruti animalis species, quod in Christum descendit.* Sed cur hoc minus dignum Deo, quàm emblemata nubis, ignis, &c. quæ itidem præsentia suæ Symbola esse voluit. Hujusmodi apparitionum Lector *νενεχῆς*, novit, nec simile esse idem;

neque signato omnia convenire quæ sunt in signo, sed omnem imperfectionem signi à signato removendam. Columba visibilis, bruta, &c. Bruto stupidior est, qui talia de Deo vel mussitat. Columbam, idoneum (si ullum in rebus creatis) personæ hujus divinæ Symbolum fuisse, suo loco notamus. Neque in Symbolo hoc plus miraculi requirebatur, quàm in rebus inanimatis: nominatim in Symbolis Sacramentalibus, comunionem beatam cum Christo, ejusq; divinis beneficiis obsignantibus. Cur Viri Dei non æquè in hac atque in aliis apparitionibus, expressissent speciem externam visam? Cur dissimulassent, si alia fuissent, & tam illustris quidem, ut illi divinant? Malè, silentio hoc, gloriæ Christi consultum ivissent. Itaque corporis ejusmodi assumptio, Deo non indigna. Non magis, quàm formationem ejus, vel omnipotentia vel sapientia Dei reluctari dixeris. Deum enim quoties libitum est, aut ipsis creaturis suis, aut figurâ in creatione eis impressâ, tanquam instrumentis utitur, præsentiam suam notificandi, opera quorum causa descendit declarandi, suasque virtutes manifestandi. Evincunt id rubus, nubes, ventus, ignis &c. in quibus Mosi, Israëlitis, Eliæ, &c. præsentem se sistere voluit. Ad *lit. c.* responderemus: ut Act 2. & linguæ & ignea conspecta, ipso tandem Hammondio concedente: ita h. l. columba.

*Infulsum
Hammondi.
Angelos
Spiritus S.
substitu-
ens evēna.* XXIII. Ad *lit. d.* Ineptissimum est commentum de Angelis personam Spiritum S. intelligendis. Symbolum hoc non plurimum, sed unius personæ, unius suppositi fuit. Neque uspiam unicum Symbolum plures Angelos representavit. Elifæus Angelis cinctus, non unicum vel currum vel equum sed plures vidit. Porro ille in columbæ formæ conspectus, cujus apparitio Johanni promissa: cujus donis Christus impletus: à quo unctus erat. Et quemadmodum Christus non Angeli alicujus, sed ipsius Patris voce Filius Dei declaratus. Quis enim Angelus Christo dixerit: *Tues filius meus* &c. Ita columba illa non Angelum quemcunque, sed Spiritum S. representavit. Denique conficeretur, nuspiam & nunquam, ipsum Deum nisi per Angelos & in Angelis apparuisse. Nulla enim ratio, quâ evincitur Angelos potius quàm Spiritum S. ad Iordanem conspectos, quâ non contra omnem aliam ejus apparitionem immediatam pugnari queat. At quoties Deus existentia, in primis gratia suæ probanda causâ, in Symbolo illustri,

v. gr. nube conspectus, & ex ea locutus : quò homini omnino se Deum audivisse, tum etiam quòd Deus aliquando in Templo & organo carnali appariturus, locuturus, passurus &c. esset, constaret? Quod quàm necessarium homini, tam utique Deo dignum erat. Qui hæc cuncta ad Angelos retulerit, in Deum & amicos Dei pariter injurius fuerit. In ore semper habent *τὸ ὄρει* similitudinis notam esse. At quia columba illa supernaturalis fuit & Symbolica, Spiritus S. alio stylo uti non potuit. Non, speciem columbinam apparuisse, negat : sed corpus illud ipsum Spiritum S. fuisse inficiatur. Quasi dicat, Bullingeri verba sunt, *Spiritus non est columba, aut ulla creatura, sed sub columbæ specie apparuit.* Cæterum de voce *ὄρει*, vid. infr. §. 25. & diff. de Chr. bapt. §. 3. sqq.

XXIV. Qui in alia abeunt, causantur : Enorme *Ἔ* penè ridiculum ^{Apparitione illâ, Imaginem fabricâ & cultui nec seriatur, nec metiuntur.} *videri statuere, ipsum Spiritum S., spreto quasi de non consicienda aut effingenda Dei imagine, præcepto, induisse formam avis : cùm certus esset, quantâ superstitione homines ducantur, &c. Quam ob rem Deus olim Mosi non nisi vocem aut nubem, aut igneam columnam, aut ad summum postremas suas demonstravit partes, quæ tamen ipse ab eo, fortè dictam mox ob causam, non describantur, &c. Alius : Dicamus, Deum fortasse sciri (quâ specie Spiritus S. descenderit) *Ἔ* à Christianis exprimi noluisse &c. ne cum multis Christianæ religionis professoribus Spiritum S. ubique columbæ imagine exprimamus. Resp. 1. Quantumvis statuamus Spiritum S. in præsens columbæ specie descendisse, intempestivam imaginum divinarum sculpturam vel cultum, nil quicquam juvamus : siquidem præstruimus speciem, nec ipsum Deum, nec ejus imaginem, sed Symbolum tantum præsentix ejus fuisse : neque adeo magis sub isto emblemate, arte humana adumrandum, quàm imagine vel rubi, vel linguæ, vel leonis, vel tineæ. Ut ut enim sub tineæ &c. figura nunquam apparuerit, Prophetarum tamen stylo, hac aliisque pluribus similitudinibus describitur. 2. Deus instar Senis, Juvenis, & columbæ passim in templis prostat. Ubi talis unquam conspectus? 3. Columba in pauperum, aliisque sacrificiis, etiam Christi, passim Ecclesiæ &c. figura fuit. Ut si columbam videam, Christum & Ecclesiam, æquè ac Spiritum S. mente concipere queam. Itaque Spiritus S. non magis quàm Christus aut Ecclesia, columbæ imagine delineandus. 4. Spiritus S. extra hanc historiam nusquam*

istâ specie apparuit: Neq; hujusmodi figuram delegit, quòd Dei naturæ, quæ invisibilis, propiùs accederet quàm alia: aut columbina imago, alterius rei imagine, aliis Sanctior aut Deo gratior esset: Sed ut Spiritus S. virtus, & in Christo habitans plenitudo nobis innotesceret. Neque columba ad Iordanem conspecta, vel picta, vel ex metallo facta: neque à Johanne, aliove adorata: aut ejus imaginem dedolare ab eo commendatum: aut imago talis easdem virtutes Dei exprimit, & institutioni tam idonea est, atque *τὸ εἶδός* à Johanne conspectum.

5. Deus actione œconomicâ, specie arbitrariâ, particulari & temporariâ, præcepto, quod universalis & perpetui officii norma, minimè derogaturus erat. Symbolis ejusmodi sive in oratione, sive extra eam uti potest. Prudens quis intelligit, animum illis verâ Dei notitiâ imbui, & ad Deum duci. At sub his Symbolis effigiari nequit, quia mens inde multis erroribus corrumpitur & à Deo abducitur.

6. Quæ sequela? Deus posteriora sua describi noluit: E. ignorare nos voluit, quâ specie ad Iordanem apparuerit? Viæ Dei, ut ubique, ita in revelationibus extraordinariis & sapientiam & libertatem, præ se ferunt. Hæc ipsa diversitas infinitatis divinæ, & quod viæ Dei inscrutabiles sint, argumentum est. Non ergo rei ipsius conditio, ad idololatriam aut ejus instrumenta invitat, sed ingenii humani temeritas, & ad superstitionem pronitas. Quid verò? Ne ingenium humanum abutatur, veritas historiæ obscuranda, aut involvenda? Dei gloria non mendacio promovetur. Afferis? Tuo judicio idololatræ id in rem suam convertent. Negas? Pneumatomachi id magno mercentur: SS. Trinitatis manifestatio obscuratur: Protervix lata porta Scripturam pro libidine torquendi, & quidvis in re plana audendi aperitur. Quid jam consilii? Deo gloriam sapientiæ & sanctitatis dabis: verbum autem ejus non fideculis subicies, sed bonâ conscientia, procul omni præjudicio, & juxta veræ Hermeneuticæ regulas examinabis. Cæterùm & Samaritani pridem, columbam absconditam, in monte Garizim inventam (quam dicebant ipsissimum idolum fuisse, quod Jacob sub quercu in monte Sichem occultaverit) adorasse dicebantur; sed rumore falso, ut probat *ὁ Μακρίτης*; Parens, *Exercit. Anti-Morin. S. 17.* Et Muhamed ferebatur columbam assuefecisse, cibum in auribus Pseudoprophetæ quærere: famâ sparsâ, Spiritum esse Sanctum, qui ei mysteria illa impietatis, quæ divulgabat, infusurraret. Hanc fabulam

lam dixeris à Monachis mutuatam, Thomam Aquinatem pingentibus cum columba in humero dextero, Spiritum S. perpetim ei præsentem fuisse, ita declaraturis.

XXV. Particulam *ὡσεὶ* oppidò multi, ita explicant, tanquam Spiritus S. non verum, i. e. solidum columbinum corpus, sed ejus tantùm speciem exhibuerit: qualis species ad designandam Spiritûs S. præsentiam omnino sufficiens & idonea fuerit. Inquam sententiam Spiritus Epiphania dicitur *χηματοποιούμενον*: Iuvenco, *Aëream simulans ex nube columbam*: Nonno, *ἀντίτυπον μίμημα πελειᾶδος*, *expressa imago columbae*: Origeni, *Φάσμα ὄρνιθός*: Justino, *εἶδος πελεισεῖδος*: Cyrillo, *Caten. in Johann τῆς πελεισεῖδος χηματοποιός*. Theodorus Mopsevetenus similiter inquit: *ὁπίστω γὰρ ἦν ἡ φύσις τῆ Φαινόμενον*, *apparitio erat, non natura, quod conspiciebatur*. Nolumus apices istorum verborum singulos ad trutinam expendere. Postquam præstruximus, non visionem, sed Historiam, & rei gestæ narrationem, à viris his Dei describi: non apparens aliquod, sed solidum corpus columbam referens demissum, arbitramur. *Realis Historiæ realia potiùs competunt, quàm apparentia*, Magnus Spanhemius scribit: *Dub. Evangel. XLVI. part. III. Spiritus S. quidem visus ὡσεὶ specie columbae*: ipsum verò Corpus apparens, non ὡσεὶ: sed veræ *πελεισεῖδος* figuram habuit. *Nec quisquam veterum, quod sciam aliter sentit*: inquit Grotius: *planè credens columbae speciem apparuisse*, in Matth. 3: 16. Tertull. *de Carn. Chr. c. 3. Spiritus columbae corpore, lapsus descendit super Dominum. Qui Spiritus cum hoc esset, tam verè erat columba, quàm Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam, assumptâ substantiâ extraneâ*. Obiter monemus: Tertullianum nimis in alterum extremum ruere. Rectiùs Chrysostronus, Homil. 13. in Matth. *Christum quidem ἐν τῇ ἡμετέρῃ φύσει in nostra natura, Spiritum S. ἐν ὄψει in specie columbae apparuisse*. Item: *Christus naturam hominis suscepit: Columbae naturam non suscepit Spiritus S. Proin, non dixit Evangelista, cum in natura columbae, sed in specie columbae (descendisse)*. Augustin. *de Agon. Chr. c. 22. contendit, & Christum & Spiritum S. vera habuisse corpora*. Sicut enim non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic etiam non oportebat ut falleret Spiritus S. Quid alii? *Sequuntur Augustini placitum, omnes ferè Scholares Theologi, teste Sixto Senensi VI. Annot. 13. Augustinus autem illis verbis vult, veram columbam in*

hunc

hunc usum à Deo creatam Symbolum fuisse præsentia S. Spiritûs. Eidem tamen ad Evod. Epist. 102. hæc columba nuncupatur, *solâ specie corporali oculis reddita, non naturâ viventis animalis expressa.* Et de Mirab. Scr. lib. 3. c. 5. *Spiritum S. non de avibus sumfisse columbam, sed ex aëre, minimè dubitatur.* Unde verò ejusmodi corpus prodierit: Num mediatè an immediatè à Deo productum: num recens, ut huic tantùm apparitioni inserviret, creatum? ex qua materia eductum? principium motûs internum an externum fuerit? an corpus ejus peractâ œconomia in nihilum redactum? an particulæ ejus dissipatæ fuerint &c. non definimus, quia Scriptura non facem præfert.

Exceptioni,
Spiritu
S. sic decep-
tionem im-
poni, occur-
ritur.

XXVI. M. Bocharti *νεῖσις* hæc est, „ Spiritum S. non in vera
„ columba, sed in columbæ specie apparuisse. Objicientibus: Ita
„ Spiritum S. Spectatores fefellisse. *Resp.* à nullo præter Christum &
„ Johannem fuisse visam: quorum ille erroris expers fuerit: hunc
„ pro comperto habuisse, hæc in visione fieri, adeoque neutrum falli
„ potuisse. Dato etiam, nec concessio, hoc columbæ *φάσμα* ab
„ omnibus esse conspectum: & à plerisque creditum, veram fuisse
„ columbam, ne sic quidè eos fefellisset Spiritus S. Neque enim is fallit,
„ qui ob oculos imaginem ponit, non fallendi animo, sed docendi.
„ Talis autem fuit hæc visio, quâ ob oculos columbæ species propo-
„ sita est, non ut crederetur vera esse columba, sed ut per eam Sancti
„ Spiritûs præsentia significaretur, & quæ sint ejus virtutes. Hoc si
„ putetur esse falsitas, aboletur omnium visionum usus, in quibus aliud
„ oculis, aliud animo exhibetur. Neque solùm in columbæ, sed
„ etiam in ignearum linguarum specie fefellerit Spiritus S. Hæc quippe
„ linguæ veræ linguæ non erant, nec verus ignis. Proinde ut hic de-
„ scendisse legitur *ὡσεὶ περὶ πυρὸς*, ita ibi visæ linguæ dicuntur *ὡσεὶ πύργος*.
„ Et paulò ante auditus sonus *ὡσπερ πνοῆς*, &c. Hæc ille: quæ nos
argumento nostro declarando, Viri summi verbis promere gestimus.
Cum Wolzogenio Grotius credit, apparuisse columbæ speciem
igneam fortè: quomodo linguæ igneæ visæ sunt supra Apostolos,
cui rei prolixè Crellius inhæret. Wolzogenius clariùs: Credibile
est, Spiritum S. etiam externâ specie quadantenus columbam repræ-
sentasse, non quidem colore pennarum, sed igneâ quadam specie:
sicut quandoque ignea meteora in cælo cernuntur, quæ variarum
rerum

rerum formam representant. Ignem apparuisse ex Iustino, & Ebionæorum Evangelio, & Syrorum Liturgia probant. At Justinus ignem à Columba distinguit. Nazaræorum, quod etiam Ebionæorum dicitur Evangelium, ob multa assumenta Apocrypha, fidem pridem de-coxit, de quo post τὸν ματαίωτον Franc. Gomarum, dissert. de ling. Evangelii Matth. Op. III. 313. Calov. Animadv. in Grot. Prolog. N. T. Porro ut τὸ quodammodo (observante Viro eruditione & meritis incluto, Joh. Marckio) restrictio est temeraria; ita figura columbæ ignea textui malè assuitur. Certè ab Evangelistis (quippe in signe gloriæ Christi argumentum futura) non magis quàm Act. 2. prætermissa fuisset. Addimus denique illud Laurentii Vallæ: Non, quòd dicitur columba, putet quisquam fuisse speciem columbæ magis quàm columbi. Hoc nomen apud Græcos epicenum est.

XXVII. Cur Spiritus S. Christo baptisato hâc quàm aliâ figurâ apparere maluerit, sapientiæ ejus relinquendum: qui, quamcunque speciem delegisset, curiosi non minùs excepissent, cur hanc, tot aliis quas induere potuisset formis, prætulit? Symbola externa, in quibus Deus conspici voluit, non naturæ divinæ cum re aliqua affinitatem, sed vel perfectiones in Deo infinitas, vel actiones Dei in creaturis, animo nostro proponunt. Quo fit, ut eodem emblemate plures, & diversæ quidem res (v. gr. columba quâ ut diximus præter Spiritum S., Christus, Ecclesia universa, singula etiam ejus membra passim adumbrantur) delineentur. Paucis: species columbæ docere potuit, quis ipsius Spiritûs S.: quis Christi quem is implebat: quis etiam Homini cujusvis Deo per Baptismum initiati, genius, quodnam φρόνημα sit. Solomon Cant. 1:15. 4:1. 5:12. oculorum columbinorum pulchritudinem prædicat. Enimverò oculis pulchrioribus præditæ, in primis in pretio esse, & formosiores haberi dicuntur. Unde columbum sacrificaturi, primùm ad ejus oculos attendisse scribuntur: qui si pulchri fuissent, reliquum corpus pro sincero habitum. Ipse Christus in columbis laudabat, toties discipulis suis ab eodem commendatam ἀνεργασίαν, ἁπλότητα simplicitatem, cujus nuntii & judices oculi sunt; Sinceritatem, candorem, constantiam in amore &c. Jes. 60:8. commemorantur convolare tanquam nubes, i. e. maturæ & fenestras, seu columbarium, heri m. cibum, nidum, suum accedere, cum aliis congregandæ: & cum maximo desiderio:

D

præ

præ quo scilicet *trepidare* solent : ut fit cum enixè aliquid anhelamus. Hof. 11: 10. 11. Sed in re plana morari nolumus. Johannes Filium Dei, (cujus nomen Ἰησοῦς, ἀναγγελουμένης τῆς οὐχ ὄντος Tu es ovis) sub Symbolo Agni vidit, quo nullum Animal terrestre mitius. Spiritus S. apparet sub specie columbæ, quâ nihil mansuetius in volatilibus. Primus Adam à serpente, omnibus bestiis agri calidior, circumventus, in miserâ barathrum præcipientes nos dedit. Christus mansuetudinis, puritatis &c. columbinæ Spiritu præditus, nos ex malis illis asseruit. Serpens imaginis divinæ prædo: Columba imaginis & gratiæ restitutæ præco. Prima columba cujus in V. T. tabulis mentio fit, Evangelium meruit: quippe visa oleæ termitem rostro gerens, nuncia Noacho facta aquarum diluvii remittentium, & terræ fructus suos homini reddituræ. De quo multa Bochartus in eruditionis Cornucopiæ, *Hierozoic. part. II. lib. 1. cap. 6.* Nec non Tertull. *Oper. Edit. Rigalt. p. 259.* Simillimè testatur hîc quoque columba, *eum hic astare præsentem, per quem ira Patris, contra totam terrarum orbem succensa, nunc equidem sit sedata, restinctaque:* ut cum Bullingero loquar. Pariter Calvinus: *In hoc Symbolo illustre suavissima consolationis pignus nobis exhibitum est, ne metuamus ad Christum accedere, qui non formidabili Spiritus potentia, sed amabili & placidâ gratiâ indutus nobis occurrit.* Et ut columbæ fecundæ, ita Spiritus S. ejus specie comparens, promittit Christum semen visurum: dotesque Spiritus (quibus Christus abundet) eum ad proles, instar roris ex aurora prodeuntis numerosissimæ, productionem fecundaturas. Cujus rei aquæ in Baptismo aspersa pignus futuræ essent. Spiritus Gen. 1:2. alitis instar (Tertulliano aliisque Judicibus ad columbam alluditur) super terram aquæ immerfam, horridam luce, omnique ornatu destitutam se vibrans, index erat consilii, mollem illam ἀναζωοποιήσασθαι, omnipotentiam ejusdem Spiritus, luce, varioque ornatu, decorandam. Aquæ (confluxus omnium aliarum gentium) & terra (Judæi, quos Dei Spiritus verbi Ministerio excoluerat,) Christi tempore flagitiis, superstitione, aliisque malis, tantum non in triste Chaos confusa videri poterant. Gentilium superstitionis & ludæorum impietas, ad apicem suum perducta erant, quum Christus mundum ingrederetur. At Spiritus S. ἀπὸ μηχανῆς se ostendit: pollicitus se aliam hîc & illic rerum faciem producturum, & cultu-

culturam rebus inducturum. Fufius iftoc Spiritûs S. Symbolum illu-
 strat Doctiff. Varen. *Theſaur. Diſſert.* in N. T. T. II.

XXVIII. Johannes oraculo didicerat, Spiritum S. in Christum *Spiritus S.*
 non tantum descensurum, sed etiam super eo mansurum. Joh. 1:33. *mora super*
 Dictum factum. *Descendit super eum, ἐρχόμενος ἐπ' αὐτόν*, Matth. 3:16. *Christo.*
καταβῆναι ἐπ' αὐτόν. Marc. 1:10. Luc. 3:22. & mansit super eo. Joh. 1:33.
 Multi Pronomen Reciprocum αὐτόν: contractum ex ἑαυτόν, hinc inge-
 runt. At Clariff. Gomarus reciproco, tuetur: contra Erasmm qui solum
 Johaſem, excluſo Christo, Spiritu S. descendentem vidisse retur. Descen-
 dit ἐπ' non tantum *versus* aut *super* ipsum, majore intervallo: sed *in eum*:
 propius, contactu si non immediato, saltem proximo, capitis, vel
 alterius membri corporis Jesu. Quia signi hujus scopus fuit, Johan-
 nem in testimonio, quod de Christo ediderat, confirmare. Frustra
 ergo reliqua fuissent, si species apparens, fulguris instar protinus
 disparuisset. Spiritui autem S. tanto tempore morari in Christo pla-
 cuit, quantum Viro Sancto ad *πληροφειαν* ingenerandam, & omnem
 scrupulum hæſitationemque extinguendam neceſſum fuit. Tum
 mora illa Spiritûs S. respondet oraculo: *Quiescet super ipſo Spiritus*
Jehovæ: Spiritus sapientie & prudentie: Spiritus consilii & fortitudi-
nis: Spiritus cognitionis & timoris Jehovæ. Jel. 11:2. Non tantum
ſessurus erat super eo, ut super Apostolis, Act. 2:3. sed *quieturus*:
 ut ejus secundum divinitatem, peculium: & ut in domicilio atque
 Templo suo: ab eo inseparabilis. Quia in eo *ἐνοικεῖ habitat omnis*
plenitudo Deitatis corporaliter, Col. 2:9. Spiritus Patris & Filii, in
 carne Christi, per gratiam unionis jugiter habitat. Nemini posthac
 majori, vel tantâ mensurâ dandus: imò nemini nisi per & propter
 Christum. Manebit in eodem tranquillus, sine lueta, à carne non
 tantum non extinguendus, sed nec infestandus, turbandus, contri-
 standus. Quod in & ab hominibus aliis eheu! æquo frequentius fit.
 Est enim Christus *ἀκατος, ἀμίαντος*, sine vitio, non coinquinatus, & à
 peccatoribus separatus. Hebr. 7:26. Christus enim & baptisat Spiritu S.,
 ut proximè ante ejus Baptisum S. Johannes dixerat: i. e. Spiritu
 S. habet, quem effundit in alios: & accipit Spiritum S. Baptisat
 Spiritu, secundum divinitatem: accipit Spiritum secundum carnem,
 Spiritum (ut Athanas. c. Arian. orat. 2. docet) à se ipſo accipiens, &
 sibi

sibi ipsi conferens. Nam qui secundum divinitatem unum est cum Patre, eundem cum eo habet Spiritum, à Patre & Filio procedentem. Et qui nobis factus *εἰς πνεῦμα ζωοποιόν*, in *Spiritum vivificantem*, 1. Cor. 15: 45. Spiritum habere debuit, quem indigentibus & postulantibus (quantum singulorum necessitas & vocatio requireret) dare posset. Eodem Spiritu humanam (quam nostræ salutis efficiendæ causâ assumpsit) naturam, donis (carne ad tantam eminentiam proVectâ) dignis, & quibus tanto muneri exercendo opus habuit, implevit ipse. Quamquam hæc donorum in carnem Filii effusio, & Patri, opus gratiæ inchoanti, Filiumque mittenti : & Spiritui S., opus gratiæ consummanti, tribuatur. Psal. 45: 8. Jes. 42: 1. 61: 1. Quod enim memorabile, in hac mystica Christi unctiōe, Tres qui unum sunt, satis perspicue & conjunguntur, & ab invicem distinguuntur.

Dona Spiritus S. in Christum effusa, ex Jes. 61: 1. percensentur.

XXIX. Dona verò in eum effusa, Jes. 61. recensentur non omnia, sed præcipua: ex ejus conversatione, institutione, doctrina, omnibus notoria: ex quibus reliqua, numero infinita, fluerent, ut rivulus ex fonte: quæque abundè evincunt, nihil fuisse reliqui, quominus perfectissimus Salvator esse posset. Caterùm sunt dona illa sex numero. Lubet eis tantisper *ἐπιμύεω*. Primum est, *Spiritus sapientiæ*. Filius Dei ipsa *Sapientia*, Prov. 8. Hic Character & hoc encomium est Filii Dei, in quo videlicet omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi sunt. Col. 2: 3. Plena inquam cognitio Dei, ut summi boni & ultimi finis nostri: nec non cognitio veri & recti, officique in se suscepti. Etenim sapiens demum est, qui utile à noxio: verum à falso: decorum ab indigno: necessarium à superfluo &c. ita discernere potest, ut sibi optimum & saluberrimum selectetur. Porriò idem nobis à Deo factus *Sapientia*, 1. Cor. 1: 30. In ejus solius notitia reddimur sapientes ad salutem, 2. Tim. 3: 15. absque ea quisquis est, à Deo stultus reputatur. Alterum donum est, *Spiritus prudentiæ*, quo τὸ διαφύεσθαι potiora exploraret, Phil. 1: 10. nec tantum bonum à malo, sed & quid in bonis melius sit pervideret & optimum eligeret: non tantum absque cespitatione & errore: sed etiam absque hæsitatione, ambagibus &c. quæcunque menti & affectibus observabantur, quæcunque considerabat, & de quibus sententiam ferebat, ad æquitatis stateram appenderet. Tertium est: *Spiritus Consilii*, ut qui sit *ᾠνοῖ* Jes. 9: 5. non tantum ipse omnia sua sapienter administrans:

frans: sed & aliis, absque eo rudibus, stultis, errantibus, quæ in rem ipsorum sint *συμβελέων*, Apoc. 3:18. consilium pacis, & quæcunque ad eorum salutem conferre possent, dictans, explicans, inculcans: modum & media, ad bona consiliis illis promissa perveniendi, sagacissimè simulque efficacissimè proponens & propinans. *Quartum*: *Spiritus fortitudinis*, quo, quæ prudenter & sapienter ad suam gloriam aliorumque salutem constituit, infractus aggreditur: denique omnibus difficultatibus remotis, insidiis hostium elusis, superatis, prostratis, consilia ad finem sibi præstitutum deducit: omnes promissiones implet: in rebus adversis, ex legis sententia sibi perferendis constantissimus, laboribus sustinendis indefatigabilis: se ipso à morte; membris suis, etiam à peccato liberandis *πανδομάτωρ*, ubique & in omnibus *θελαμβέων*, & *ὑπερνικῶν*. Rom. 8:37. 2. Cor. 2:14. Apoc. 5:5. 6:2. conf. Psal. 45:4. sqq. Jel. 53:10. *Quintum* est, *Spiritus cognitionis*: Mysteriorum quæ scire peccatorum intererat, & quorum cognitione eos justificari oportebat, Jel. 53:11. fons & apex: tum Magister eorum, quæ unum quemque in vocatione sua decerent. *Spiritus* autem cognitionis illius, quæ est dilectio eum movens, ut suis adversitate jactatis, compatiatur, peccata condonet, nexibus eorum eos liberet. 1. Cor. 8:3. 1. Petr. 4:8. *Denique*, *Spiritus timoris Jehovahæ*: Decebat enim eum, Patrem suum *πατῶν*, revereri, colere, Joh. 8:49. ejusque voluntatem facere. Psal. 40:8.9. Phil. 2:8. *Ἐυλάβεια* pietas dicitur, Hebr. 5:7. LXX. eosque secutus Vulgatus addunt septimum donum. Unde in Hymnis *Spiritus* nuncupatur *septiformis*: eodemque referunt septem *Spiritus* Apoc. 1:4. commemoratos. At notoria nimis utriusque Interpretis hallucinatio. Latinus sibi imponi passus à LXX., qui, *וורוה* odorari faciet eum, reddunt *ἐμπλήσει ἀντὸν πνεῦμα*, quasi esset à *וורו*. Cum porrò v. 2. & 3. mentio fiat timoris Dei, qui & Christo & fidelibus tribuitur, LXX. de solo Christo intelligunt, eamque vocem per *εὐσέβειαν* & *φόβον Θεῶν* interpretantur. Hinc Vulgato Sextum Messiaæ donum, pietas: septimum, Timor Dei.

XXX. Ista insuper animadvertimus. I. *Sapientia* agmen ducit: *Donorum timor Dei*, claudit: quæ biga Job. 28:28. Psal. 111:10. Prov. 1:7. 9:10. *illorum* ita conjungitur, ut dicatur *שׂרָא* sapientia. *שׂרָא* & *initii* & *præcipui* ^{nexus.} significationem habet: quæ utut in aliis latissimo discrimine ab invicem

vicem abeant, ita quidem ut etiam qui bene capit, dimidium facti habeat: Timore autem Domini, non tantum dimidium sed precipuum sapientiae involvitur. Ita sororio adamantinoque nexu coharent. Ut *sapientia timore Dei animata*, reginae alicujus instar sit, quae reliquas virtutes in comitatu & satellitio habet. 2. Hujusmodi *timor Dei*, juxta cum *inscriptione legis Dei in cor*, donum est ex Testamento, seu fædere Dei nobis destinatum: vitæ spiritualis initium, remissionis peccatorum pignus: Sinceritatis & constantiæ mater. 3. *Cognitio* verò, *sapientia*, *prudencia*, *judicium*, *fortitudo*, gradus veluti sunt, per quos novus homo proficit, & quibus imago Dei perficitur: se mutuò complexæ, non minus quàm calor lucem Solis: aut denarius numerus inferiores. *Cognitio* genuinæ indolis non est, nisi reliqua secum vehat & ferat. 4. Ista enumerantur distinctiùs, quòd cognosceremus, *in Christo* esse omnia quæ eum muneri Prophetico, Sacerdotali, & Regio suscipiendo & exercendo parem reddunt: & ab eodem nobis reddi universa quibus ad sortem sanctorum in luce *inavéμεθα*, idonei constituimur, Col. 1: 12. Quidn̄ enim is *Propheta* sit, in quo Spiritus *sapientiae & cognitionis* requiescit? *Sacerdos*, qui timore Dei Sanctus purusque? *fortitudine*, in cruenta & dolorifica sui oblatione insuperabilis? *Quin* denique *Rex* sit, qui *prudentiâ & judicio* inclutus? Nec tamen vel *Propheta*, vel *Sacerdos*, vel *Rex* futurus, nisi omnia hæc in ipso unitissima, & *ὄν ἐκ μέτρας* sine mensura fuissent. Quia verò donis his universis instructissimus: eorumque non tantum sacrarium, sed oceanus inexhaustus, denique fons ex cujus plenitudine gratias has omnes peccatori haurire licet; ad salutem obtinendam nil superest, nisi ut appropinquemus ad thronum gratiæ, quò accipiamus misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Hebr. 4: 16.

*A Christo
derivantur
in nos.*

XXXI. Hic ergo Spiritus requiescit in Jesu, non tantum ut ipsum reddat sapientem, prudentem, &c. Sed habet eum, ut omnes sibi à Deo datos iisdem donis impleat, eos sapientes &c. reddat: Requiescit enim in illo, non tantum ut in domicilio, sed etiam ut in fonte & radice: à qua pax & omnia bona in populum ipsius germinent. Itaque ad Iordanem palam super eum descendit, & super eo manet: quò exploratum redderetur omnibus, hunc Jesum, & solum quidem eum esse, cujus beneficio Spiritus S. extraordinaria & ordinaria dona in Ecclesiæ præsidibus & membris (pro ratione vocationis)

tionis) *quiescant*. Num. 11: 26. 1. Petr. 4: 14. Adeoque eum esse verissimum Ecclesie caput, suo corpori, vitam, motum, salutem conferens, sufficientissimum, promptissimumque. Porro ut non tunc demum Messias, Propheta, Sacerdos, Rex noster factus, sed declaratus: ita extraordinariis his donis, non jam demum caro Christi delibuta, & perfusa. Acceperat ea ab utero: Ut personæ & Muneris ei impositi ratio evincit. Sunt tamen cum ætate, ut res ferebant, incremento locupletata: in certamine, ad quod se accingebat, & in munere deinceps suscipiendo, omnibus propalanda & manifestanda. Nisi fortè dicere libeat, Jesum Spiritu hoc actore, & vectore actum, mox in desertum discessisse: animo ad subeundum & superandum certamen confirmatum fuisse: & carceribus illis dimissum, functionem propheticam ingressum esse, ab eodem Spiritu, qui eum in vita privata dirigebat, pariter in publica in omnium oculis gubernandum. Qui dona hæc in carnem Christi effusa, *increata* & *infinita* dicuntur: nec non perhibent, omnia ea quæ *quoad divinitatem habet per Naturam, ex æterna generatione à Patre*; etiam *quoad naturam humanam habere*. In specie, *quamvis missio Spiritus S. opus sit merè divinum, cujus jus in æterna processione fundetur: humana igitur natura per naturam non competat*: tamen Christo *quoad naturam humanam jus mittendi Spiritum S. donatum esse*, ἀσύστα loquuntur: Carni quod divinitatis est, tribuunt: & personam cum natura, concretum cum abstracto, Θεάνθρωπον cum humanitate confundunt. Mittit Spiritum S. *in carne*, neque tamen *vel per carnem, vel ex & à carne*.

XXXII. De cælitus *auditis*, Matthæus & Marcus: καὶ ἰδὲ (so-
 Vox Cælestis. fuis Matthæi hæc præfatio) Φωνή (Marc. 1: 11. additur ἐγένετο. Lucas:
 Φωνὴ ἐξ ἑβραῖν γενέσθαι, λέγεσθαι) ἐκ τῶν ἑβραίων λέγεσθαι. Quid? Apud
 Matthæum, οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀγαπητοῦ, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Apud Mar-
 cum & Lucam: οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀγαπητοῦ ἐν ᾧ εὐδόκησα: Lucas, ἐν σοὶ
 ἠυδόκησα. Καὶ. Postquam gloria Christi Symbolo externo in apricum
 producta, finem ejus sapientissimū, Ter-Optimus Maximus Pater voce
 declarat, ne Symbolum vel negligeretur, vel in abusum detorqueretur.
 Eundem morem Deus in ordinariis & extraordinariis Sacramentis
 observat. Hinc Eph. 5: 26. *verbum & aqua* junguntur. Signis Deus
 paternum suum amorem fidelibus oppignerat. Verbo eundem plenius
 explicat: ne videlicet signa illa vel in contemptum veniant: vel in
 super-

superstitionem degenerent: sed populus Dei nôrit, quid illis signis tribuere, & quomodo ea in rem suam convertere possit. *Eò pertinet* *Et typorum complementum.* Ut enim Pontifex cum inauguraretur, primum toto corpore abluebatur aquis, postea indutus veste sacerdotali, sistebatur in conspectum populi: accedebat *Et clangor tubarum, Et perfundebatur caput ejus oleo: sic Christus verus Pontifex, aquâ Baptismi; voce Patris quasi tubâ; Spiritu veluti oleo inundatus, palam consecratur muneri suo; Clariss. Basnagius inquit Annal. A.C. 30. §. 6. Vocem Patris narraturus S. Matthæus inclamat, idè, vide mihi! Jesum Mariæ Filium, cœlitus digito monstrari, & dicier, hic est Filius Dei. Particulam eandem de apertione cœli usurpaverat. Quidni iteratò adhibeat de testimonio Dei, quod apertione cœli majus & excellentius? Oculorum hæc, aurium illa objectum: voculâ illâ h. l. non modum aut medium, quo res percipitur; sed rei percipiendæ dignitatem innuente. Neque hîc tantum vox, sed Dei eam emittentis *συγκατάθεσις*, attendenda, admiranda, laudanda. De sola apparitione Spiritûs S., Sanctus Johannes, *vidi* (mentis oculo: cognovi penitissimè) *Et testatus sum, (vel testor) quòd hic sit filius Dei,* Joh. 1: 34. Cui Deus unicum signum promiserat, & quod maximam vim habebat, animum Johannis in fide in Christum confirmandi, ejusdemque testimonio de Filio Dei maximum pondus addiderat: ei ex gratiæ superabundantia alterum addit, inexpectatum prorsus. *Ecce vox Patris è cœlo.* Quid jam addi potuit, ad confirmationem veritatis, quod Christus Filius Dei sit? Eam, quæ basis est Ecclesiæ *περισσότερωσ ἐπιδείξω* (Hebr. 6: 16.) & *ἀποδείξω* demonstrare voluit, ne ad fidei nostræ securitatem quidquam deesset, nimirum fidei nostræ soliditati ubique consulens. Hammondus malâ fide nebulam, si non nubem, gloriæ Christi offundit. Vult his verbis alludi ad oraculum Jef. 42: 1. quod Matth. 12: 18. laudetur, *idè ὁ παῖς μὲ ὁ ἀγαπητός.* Sed præterquam quod mutilat verba Spiritûs S., construit ὁ παῖς cum ἀγαπητός, veluti cohærent ut substantivum & adjectivum. Tò παῖς autem ambiguam vocem esse, quæ & *filium & servum* designet. Cur verò Psal. 2. in quo à Patre Filius compellatur, à Viro Doctiss. involvitur silentio? Cur παῖς ambiguum esse dicitur? cum Esajas suâ linguâ vocabulum *בן* adhibeat, ab omni ambiguitate liberum.*

XXXIII. Unde

XXXIII. Unde Christo gloria datur? ἐν τῶν ἐρειῶν. In *Christo* monte Sancto ἐν τῶν νεφελῶν *ex nubibus* vox prodit, Matth. 17: 11. *gloriosa*. Ad Iordanem, *ex caelo*: eoque aperto. Illic sanè non evanida imaginatio, sed vox auribus distinctè percepta. Neque nubes illa spectrum, & oculiferium. Sed supernaturalis quidem, vera tamen. Non minùs realia quæ ad Iordanem contigere. Nulla nubes: sed serenitas, lux, cæli aperti. Utrumque ex illa parte cæli, quæ super Christo, aperta erat. Utrumque signum externum, prægnans est significatione mysterii. Illic tum *Φωσὴν clara*, cùm *umbrifera*. In nube colloquentes, agebant de Christi exitu; qui ut erat Christi respectu, extrema Christi exinanitio; ipsis autem discipulis obscura & ignota, nubes ei rei oppidò quadrabat. At non alia ad Iordanem vox audita, quàm de Christi filiatione, quæ ut vera & summa Christi gloria, ita ex gloriosissimo Theatro ebuccinata, & promulgata. Nubes illa 2. Petr. 1: 17. *μεγαλοπρεπῆς δόξα*, *magnifica gloria* insignitur, quia insigne gloriæ Christi illustrandæ instrumentum. Quantò gloriosius Christo fuit, ex cælo aperto pronunciarum quantus sit? Quis deinceps dubitet eum *ex caelo*, & Dominum *de caelo*; adeoque *omnibus superiorem* esse? Joh. 3: 31. Atque hujus rei, in qua tantum momenti ad salutem nostram situm est, non demum ipsum Christum, qui tamen ὁ μᾶρτυρ ὁ πρῶτος, & Deus Amen, habemus testem. Neque solum Johannem. Nec enim hujus magis quàm cujuscunque alterius hominis testimonio dignitas Christi nititur. Sed ipsum Patrem: cujus testimonio, ad fidem articulo gravissimo & sanctissimo conciliandam & nobis ingenerandam, dignius & eminentius aliud accedere nequit. Vid. Joh. 5: 31. 38.

XXXIV. Modum & rationem Christum glorificandi, S. Mat- *Frequens* thæus his describit: *Φωνή* (Marcus addit *ἐγένετο*: subintellige, *καὶ* *de eo* *ἠκρόθη*) λέγουσα: quod aliqui per *λεγομένην* explicant. Si *Φωνή* de persona loquente interpretari malis, ut Apoc. 1: 12. sensus erit: *Deus Pater auditus est voce perceptibili calitus dicere*, &c. Quin & hoc observare licet: vocabulum *Φωνῆς* ferme adhiberi, quum vox quidem auditur, persona autem loquens, vel sonum edens, visui se non offert. Ita de Deo, Christo in carne humili & mortali versanti, gloriam dante, ter adhibetur, Matth. 3: 17. 17: 5. Joh. 12: 28. Ipsissimum hoc genus Oraculi est, quo Judæi Prophetiæ dono, per Urim, ex propi-
 tiatorio,

tiatorio, & per Prophetas, (quibus, præter Ignem & oleum sacrum, stante Templo secundo desituebantur) sublato, Deum subinde de suis Rabbiniis, vel eorum precibus (ut Scholastici Imagines, de Thoma Aquinate &c.) usum contendunt. *לִּפְנֵי הַבַּיִת* *filiam vocis* nuncupant. Quia vox ejusmodi, quasi *filia* fuerit, i. e. in locum successerit, prioris illius *vocis*, quæ ex propitiatorio audiebatur. De ea Doctiss. Lundius *Sacerd. Jud.* Lib. III. 6: 29. sqq. Non aspernandi, qui quæcunque Judæi (gens Magiæ supra modum studiosa : sui jactantissima & vanissima) de ista Bathkol jactant, vel fabulis vel Diaboli præstigiis accensenda censent Nec enim inde à data lege usque ad Christum baptisatum ulla calitùs publicè audita vox. Illa autem de Bathkol, vel à Judæis efficta, vel per Satanam Dei simiam effecta, non aliâ mente, quàm quò Christi & Pauli vocatio, hujusmodi oraculo declarata, obscuraretur, & hebetaretur.

*Evangelistarum
dis-
sensus Har-
monicus.*

XXXV. Vocis *ad Christum & de eo* auditæ tenor iste. Apud Matthæum: *Hic est.* Planè ut Pater (communi trium Evangelistarum, etiam Petri, 2. Petr. 1: 17. consensu) in monte Sancto locutus est, & Jel. 42: 1. Apud Marcum & Lucam personâ *secundâ* utitur. Ut Psal. 2: 7. *Si queris quid horum in illa voce sonuerit? Quod libet accipe. Dummodo intelligas eos, qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam,* Augustini effatum est. *Consens. Evangel. lib. 2. c. 14.* Nam quia Christus solus is erat, de quo vox sonabat, perinde fuit, atque si Deus Pater dixisset: *Tu es.* Procul ergò abest, ut ista *ἐὸν τοῦ θεοῦ* Spiritui S. inconstantiam affricet, vel Evangelistarum reliquorum fidem dubiam reddat, nedum malam arguat. Iidem Viri Dei subinde eandem rem aliis verbis repetere solent. Moses eundem Decalogum, Christus Orationem Dominicam, bis recitant. Neuter apicibus singulis utrobique institit. Eandem rem aliis vocabulis exprimunt. Quin, Moses auctarium passim adjicit: Christus Epilogum apud Lucam omittit. Denique vel hoc indicio patet, quòd neque S. Marcus Epitomator Matthæi: Neque Lucas in narratione sua simpliciter Matthæum secutus sit: sed quòd uterque horum, haud secus quàm Matthæus, Spiritu S. ductore & doctore calamum adhibuerit. Denique varius ille stylus omnino evincit, quanquam cæleste illud encomium & acroama non quidem (ut nonnullis tuta omnia timentibus videtur) bis & ita pronuntiatum sit, ut semel ad Johannem dixerit:

dixerit : *Hic est Filius* ; Mox ipsum Christum compellaverit : *Tu es Filius* &c. Nihilominus Christum ita à Patre glorificatum, tum propter Johannem, tum propter ipsum Christum. Istud, Christi preces exauditas : illud, promissionem Johanni factam adimpletam testatur.

XXXVI. De isto ergo Pater æternus tria pronunciat. 1. *Tu es, Filius meus.* Eum Personam : eamque divinam, at à Patre diversam, innuens. 2. *Dilectus* : quia Pater & Filius ut essentiâ, ita affectu arctissimè uniti. 3. *Addit* : *in quo acquiesco*, dilectionis non causam, sed effectum & fructum indigetans. Primum ergo inquit : *Tu es Filius meus.* Ergo verba ista à prima SS. Trinitatis Persona pronuntiata : *Trinitas* (ut August. Serm. 63. de Verb. Dom.) *fecit de calo columbam, sed non pertinet nisi ad solum Spiritum S. : Trinitas fecit de calo vocem, sed non pertinet vox nisi ad solum Patrem.* Is, quia ante molitiones suas, cum non essent abyssi, antequam montes figerentur, Prov. 8 : 22. 24. 25. *Filium genuit, Pater Domini nostri Jesu Christi : ex eodemque, πᾶσι πατρὶα ὅμοια omnis paternitas in calo, & in terra nominari dicitur, Eph. 3 : 14. 15. Is compellat υἱόν. Quæ vox ut ab ὕω pluo, aquas fundo, descendit (filii enim à Parente ut scaturigine profluunt), ita Pater πηγή τῆς θεότητος, fons Deitatis, pridem nuncupatus. Eundem Pater Psal. 2 : 7. ita compellat : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De eodem S. Paulus : *Tantò (κρείττων) major factus Angelis, quantò διαφορετέρως παρ' αὐτῶν κειληρόμηνεν ὄνομα, excellentius præ illis hereditavit nomen. Cui enim dixit unquam Angelorum, Filius meus es Tu, ego hodie genui te ? Hebr. 1 : 4. 5. Quanquam enim & Angeli & quicumque in Christum credunt, potestatem habeant ut filii Dei fiant, Joh. 1 : 12., atque id luculentum Dei in nos dilectionis argumentum sit, 1. Joh. 3 : 1. Nemini tamen ea dignatio à Deo habita, ut ei diceret : *Tu es filius meus.* Quia Jesus est ex Patre, non ut *creatus*, sed ut *genitus* : quia filius est, (non ut Crellius impiè contendit, potissimum conditione ac statu, seu jure adeundi hereditatem paternam : sed) æternâ, ineffabili, supernaturali, verâ tamen generatione, quâ Pater Filio dedit vitam habere in se, quemadmodum Pater vitam habet in se, Joh. 5 : 26. De simili voce in monte Sancto audita, S. Petrus 2. Petr. 1 : 17. pronunciat, Christum à Deo Patre *πλήν καὶ δόξης, honorem & gloriam* accepisse. Magna loquentis, magna audientis gloria ! Judæi, ipsumque Synedrium, Christum, quod se Dei Filium profiteretur,**

blasphemix damnarunt, quippe (hostibus divinitatis Christi, nomen Christianorum usurpantibus sagaciores, & æquiores) ex filiatione Christi, divinitatem ejus Patri æqualem colligentes. At ipse Deus Pater *ἀντιθεὶ* Filium pronunciat, & Judæorum impietatem revincit, & quod jam voce Johannis in terra promulgabatur, suâ voce cælitus confirmat. Inprimis quòd cognosceremus, neminem Christum cognoscere, nisi Patre revelante. Matth. 11:27. 16:17. Joh. 6:45. 46. Cumque Sabellius, tres Personas confundat, & in unam conflēt; Arius, aliique eas abnegent; Alii dividant, & divinam substantiam in pluralia & Deos distrahant, Christus, Patre teste, & divina, & diversa à Patre Persona est. S. Matthæus hætenus divinitatem Christi paucis attigit: postquam tamen ea de illo prædicavit, quæ satis evincunt, homine quovis majorem esse; denique Patris voce confirmat, Christum Dei Filium, i. e. Deum ex Deo esse.

*Baptismo
Christi con-
firmatur de
SS. Trinitate
articulus
palmaris.*

XXXVII. Quin in Christi (ut in nostro) Baptismo illustrissima SS. Trinitatis *ἐκφανέρωσις*, manifestatio fit, & veluti sensibus se offert. In nostro quidem *verbalis*, in illo autem *realis*: ita perspicua, ut similis in S. Pandectis non legatur. Siquidem præter SS. Personarum discrimen, etiam singularum opus & beneficium æconomicum describitur: ut scilicet inde admoneamur, quòd eorundem beneficiorum & operationum quæ singulis Personis tribuitur, pia & fidelis, in invocatione meditatio, verus & salutaris hujus mysterii usus sit. Denique admonemur etiam, in nostro Baptismo nobis minimè in consideratione actionis externæ Ministri subsistendum, sed SS. Trinitatem præsentem: & Baptismum Patris gratiâ, Filii sanguine, & Spiritûs S. donis fœcundum esse. Voce *Pater*: *Natus* Corpore: *Flamen* Ave. Ut pia Vetustas magnâ cum ratione dixerit: *Abi Ariane ad Jordanem & videbis Trinitatem.*

*Christus
Filius Dei
dilectus.*

XXXVIII. De hoc Filio suo Pater duo prædicat. Primum est, quòd sit *ὁ ἀγαπητός*, *ille dilectus*. Eph. 1:6. *ὁ ἠγαπημένος*. Col. 1:13. *Filius dilectionis*. Prov 8:30. *in sinu gestatus Filius, delicia Patris, quotidie ludens coram ipso omni tempore*. Conf. Joh. 1:18. 3:35. 5:20. Toties per Prophetas promissus. Hesychius vocabulum *ἀγαπητός* reddit per *μονογενῆ, κεχαιρισμένον*, *gratum*. Etiam LXX. *τὸ ἰηϋ* per Synecdochen generis, reddunt per *ἀγαπητόν*. Unigenitus teneriùs diligitur. Patrisque affectus non in plures distrahitur, sed in uno veluti puncto contrahitur: instar radiorum Solis, ad objectum aliud vel illustrandum

dum vel incendendum, collectorum. Tamen vox dilecti, non eandem vim habet, quam apud
 Johannem μονογενής, unigenitus, ut Crellius vult. Nec Christus Filius Dei Unigenitus
 dicendus, quia dilectus: nec tantum ὁ ἀγαπητός ut unigenitus: sed quia unigenitus.
 Quamquam verò vox Unigeniti plus valeat, quam dilecti, non tamen h. l. illam adhibere
 voluit. Quia voce Filii comprehenditur, ista autem scopo Dei Patris oportunior fuit.
 Estque idem vocabulum quod Matth. 12:18. exprimitur. Hebr. בְּרִיךְ, quod denotat iudicio
 receptum, arbitraria lectione assumptum. Augustinus plerumque vocabulum ἀγαπητός,
 reddere solet, charissimus. Erasmus observat, amplius quid dici quam dilectus. Est ergo
 Christus Patris viva imago, ut essentia ita affectu ei unitissimus, verus ledidia, quem Eccle-
 siasin Cantico 777 nuncupat: unice dilectus. Etsi enim quivis credentes fiat ἀγαπητός Θεῷ.
 Rom. 1:17. Filium tamen suum eo amoris gradu Pater cælestis complectitur, quo
 neminem alium. Ita Patri dilectus est, ut Pater ejus gloriam quærat, Joh. 8:50.: ut
 eum dederit lucem mundi: ut noluerit ejus animam in inferno derelinqui: ut dixerit
 ei; Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Psalm.
 110:1. Postula à me & dabo gentes hereditatem tuam. Psalm. 2:8. & omnia in ejus manus
 dederit. Joh. 3:35. Ut in eo etiam hominem rebellem & osorem Dei adamare, eique
 gratiam facere voluerit. Eph. 1:6. & gratiâ ejus fiat, ut dilectio quâ Pater ipsum diligit,
 in nobis (erga nos) sit, & in corda nostra effundatur. Joh. 17:26. Denique hæc Patris vox
 esse possit, tanquam à Deo percuti dignus fuisset, Jof. 53.

XXXIX. Alterum Patris de Filio pronunciatum, apud Matthæum & Marcum est: Pater
 εἰς ᾧ (Luc. εἰς σοι. 2. Petr. 1:17. εἰς ᾧ. Atticè) εὐδόκησα: Luc. εὐδόκησα. Verba Acquiscit
 repetit ex Jof. 42:1. בְּרִיךְ רַצְוֹן נַפְשִׁי, Subintelligendum בְּן. Electus meus quem in Filio, &
 anima mea acceptum habet, gratiose acceptat: quo delector. Delectant enim quæ bona propter eum
 à nobis habentur, iisdemque bene cupimus. Matth. 12:18. ita repræsentantur: in nobis.
 εἰς ᾧ εὐδόκησεν ἡ ψυχὴ μου. Eudokhosa & præteriti & præsentis significationem habere
 potest. Siquidem non recens illa Patris in Filium voluntas, sed æterna. Eadem con-
 stans & immutabilis est. Perinde est ac si diceret: εἰς ᾧ εὐδοκέω, in quo toto amoris
 mei affectu recumbo; ἐπαυαυάνομαι, acquiesco. Porrò nec vulgaris illa Dei dilectio
 est, ut Deus etiam in operibus & consiliis suis delectari dicitur: sed planè singularis.
 Verbum divinis literis peculiare, gratiosissimam voluntatem, benevolum & propensum
 animum, ac præcipuum quandam affectum, sonat. In Etymologico Magno: εὐδοκία
 dicitur, ἡ ἀρετὴ, ἢ καλλίστη τῆ Θεῷ φέλησις, optima & pulcherrima Dei, spontanea
 voluntas. Notanda etiam crisis Hieronymi in Eph. 1. de εὐδοκία. Non statim omne
 quod placuit, etiam bene placere potest: sed ibi tantum εὐδοκία sive beneplacitum, ubi quod
 placuit, rectè placitum comprobatur. Addit, verbum esse LXX. Interppr., sic רַצְוֹן
 interpretantium: novis rebus nova verba fingentium. Utrumque divinè & verissimè de
 Patris in Filium animo. Nervosius etiam longè & gravius quam Limbourg, cui
 τὸ εὐδόκησα perinde est, ac cui beneplacitum aperui, & qui perfectam meam voluntatem
 mundo aperturus est. Lib. 3. c. 15. 7. De εὐδοκία eadem S. Paulus, Col. 1:19. Placuit in
 ipso omnem plenitudinem habitare. רַצְוֹן frequens admodum de gratiosa Dei volunta-
 te precantibus, & sacrificantibus exhibita adhibetur. Nimirum hæc Patris εὐδοκία fons est,
 in רַצְוֹן Psal. 106:4. gratiosi consilii divini de quibusdam salvandis. Ornat etiam
 Personam Filii, & dignitatem sacrificii, & intercessionis ab eo oblatae. Cum enim nec
 frater fratrem redimere possit, Psal. 49:8. & Deus sacrificium, oblationem, holocausta &
 piacularia (tanquam rei tantæ imparia) οὐκ ἠθέλησεν, εἰδὲ εὐδοκῆσεν mollet. (Hebr.


10:8.) *προεδίξατο αὐτὸν* (ut *Jes. 42: 1.* redditur per *LXX.*) *accepit hunc anima Dei,* tum propter divinam dignitatem, tum propter absolutam sanctitatem Personæ, ut per eum Patri placemur: & Pater placetur nobis, constituitque Filio corpus aptare. Huic placito Patris cum annueret Filius, Pater in hac voluntate Filii acquievit: parentantæ provinciæ dignumque habuit, cui gloria Pontificis Maximi, Liberatoris, Vindicis, Statoris generis humani competeret: & cujus *tanquam primogeniti gloriam* patefaceret. Itaque cui Persona tanta probatur, eidem in ejus oblatione, aliisque functionibus complacitum est. Planissime eam habuit ratam, ut in *fovea vinclos propter sanguinem* ejus, (qui *sanguis est fœderis N. T. pro multis effusus in remissionem peccatorum,* Matth. 26:28.) dimiserit, Zach. 9: 11. peccatorum gratiam faciat: *וְיָחַד בְּרַצוֹנוֹ* in benevolentia ejus *vita* sit Psal. 30: 6. ejusque intuitu, & gratiæ & gloriæ ineffabilis thesauro nos ditare velit. Luc. 2: 14. 12: 37. Nec minus grata & accepta Patri est Filii intercessio, qua pro reconciliatis Patrem convenit, ut eis vitam & quæcunque ad vitam necessaria impertiat. Eadem gratiâ Pater audit preces in nomine Filii factas à credentibus. Quod qui tot alios Mediatores, toties iteratum Sacrificium, tot victimas & piacularis actiones alias, & quid non sordium? Deo obtrudunt, ad animum minime revocantes, Christi exortes reddunt, & gratiâ Dei miserè petulantèrque excidunt. Gal. 5: 4. Ne quicquam ergo Crellius: *Verba in quo complacui, explicationem tantum esse vocabuli prioris dilecti: nec aliud significare, quàm aliquo vehementer delectari, eum singulariter amare.* Quid verò est verba Spiritus S. strangulare, si hoc non sit?


Ufus Historiæ hujus.


XL. De divinæ hujus Historiæ usu, faciendè Bullingerus, in Matth. 3. pag. 38. b. Est hæc celebris Dei consuetudo, quòd Ministris suis ad exequenda negotia sua destinatis, inauguratione aliqua per visibiles cæremonias, fidem & auctoritatem apud populum conciliat. Ita enim legimus Sacerdotes Principes ac Reges, oleo delibutos, & cæremoniis initiatos munia sua obisse! Oportuit ergo Christum Dominum fidelium Regem & Sacerdotem, Magistrum & Salvatorem, in regnum suum inaugurari. Sed cæremoniis cælestibus, non terrenis, quando ipsum regnum cæleste est & Rex æternus. Nullum ergo oleum capiti Christi infunditur, non imponit hic Domino manus homo peccator. Nec audiuntur testimonia & voces humane, sed ipsius S. Spiritus plenitudo, olim significata per oleum, effunditur in caput Christi, sicut prædixerat *Isajas* in Cap. 61. Ejusdem capiti insidet ipse Dei Spiritus, sub specie columbæ. Auditur denique Patris æterni & viventis in secula, veracissimum testimonium, declarans Christum nobis propositum esse Regem, Magistrum, Placatorem & Salvatorem. Quod si consecratio que per visibiles caducasque cæremonias facta est, fidem conciliat ordinato, quam fidem ac auctoritatem non impetraret Christo Regi & Sacerdoti nostro divina hæc & prorsus cælestis inauguratio? Similis auctoritas nulli unquam in terris homini obtigit, neque facta est à condito mundo talis inauguratio. Neque ulli unquam hujusmodi cessit testimonium. Vilissima & abjectissima videbuntur, que excellentissima & nobilissima ubi videntur testimonia, vel Patribus vel Conciliis data, si huic conferantur. Tanto itaq; Sacramento credamus, in Christum figamus spem firmam: hisce que tantus docuit Magister immoriamur. Denique amemus unice amantem (nos) Regem & Liberatorem nostrum, & agamus benedictio gratias in secula seculorum.


Amen.

F I N I S.














the scale towards document

✻ (47) ✻

plura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
o. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
o-713. ISAACI CASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindicis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, praesertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆτω αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,